Chriſtiani, qui mortem non cogitant, ſunt inexcuſabiles.

Si mors malum eſſet, quod vel ignotum foret, vel raro, & quibuſdam dumtaxat temporibus, aut perſonis accideret; ſi malum eſſet a nobis remotum, quod poſſet evitari, vel quod nullus moleſtus ſubſequeretur eventus, excuſari poſſent, qui illud minime cogitarent: ſed res ſe longe aliter habet, Mors adeo commune malum eſt, ut omnes ſenſus noſtros afficiat; adeo frequens, ut quotidie nova oculis noſtra incidant ejus ſpectacula; adeo nobis proximum, ut illius in nobiſmetipſis principia inveniamus; adeo inevitabile, ut nulla magnitudo, nulla potentia, dignitas nulla, opes nullæ illi reſiſtere, ac illud valeant propulſare; adeo propter ea, quæ illud conſequuntur, terribile, ut inde felix, vel infelix noſtra æternitas pendeat. Hoc recogitare intereſt noſtra, attamen in animum inducere non poſſumus, ut illi cogitationes noſtras impendamus. *Idem*.

Sæpe apud chriſtianos de morte loquendum eſt, ut ejuſdem meminerint.

Miniſtri Domini populis ſæpe dicere debent, quod dictum fuit Jeſu Chriſto ad Lazari tumulum accedenti: *Veni, & vide*. Venite, & videte; videte oculos clauſos, pallore atro ſuffuſam faciem, hirtos, ſparſoſque crines, flaccidas, cavaſque genas: neque hæc obiter vidiſſe ſufficiat; inſpicite hæc omnia tamquam ſtatum, in quem eritis aliquando redigendi. Hoc ſpectaculum eſt, cujus vos quoque participes eſtis, vosquoque in hanc ſcenam eſtis produci. Venite, & videte. At enim animum appellere non poteſtis, ut id cogitetis, meque incuſatis, quod minime parcam eorum mollitiei, a quibus audior, cum eorum oculis adeo tetrum ſpectaculum objiciam: ego autem reſpondeo, vos, ne adeo parum chriſtianam mollitiem offendatis, negligere validiſſimam rationem, quam nobis ſuppeditavit Deus, ſaluti noſtræ conſulendi, eamque ſerio operandi. *Idem*.

Morientis deſcriptio; ſtatus corporis, & animæ ejus.

Satis eſt oculos conjicere in eum, qui jamjam animam efflaturus eſt, ut liqueat quam terribile ſit illud ſpectaculum. Manus, ſacertique ejus præ imbecillitate corruunt; pectus oppreſſum ſub pondere pituitæ, qua ſuffocatur, vix ſpiritum valet reciprocare; caput ſe ſuſtinere non poteſt, labia ſpumant, caligant oculi; facies frigido ſudore madet, mortalique pallore ſuffunditur: quidquid ſenſibus accidit, horrorem inſpirat. Attamen quod extrinſecus videtur, levis imago eſt eorum, quæ reprobi peccatori anima intus incipit experiri. Videt illa inevitabilem ejus mortis neceſſitatem, quæ neque vi ſuperari, neque lacrymis flecti, neque totius artis medicæ ope eludi poteſt. Illam appropinquantem videt, quemadmodum ſons erigi videt patibulum, cui ſuffigendus eſt. Egreſſio ex hoc mundo horrorem illi ciet, tranſitus de tempore ad æternitem dolore illum afficit, atque hæc omnia illum mortali replet formidine, quæ nullum admittere poteſt ſolatium, *Idem*.

Mortis oblivio efficit, ut terræ hujus bonis adhæreamus.

Mortis oblivio homines cupidos efficit, inexaturabiles, hæreditatibus acquirendis intentos. De hoc ſapiens quidam Ethnicus jampridem conqueſtus eſt: *Tamquam mortales vivimus, tamquam immortales concupiſcimus*. Vivimus, ac timemus tamquam morituri, vel ſingulis momentis morte abripiendi; ut deſideramus, perinde ac immortales eſſemus: bona bonis accumulamus, domos domibus; hæreditates hæreditatibus, tamquam numquam moriendum nobis eſſet: quæ cæcitas! quæ oblivio! Nobiſmetipſis conſentiamus, & hanc auferamus contradictionem. Si tanto ardore vitæ bona congerimus, ne negligamus curam hujus vitæ tuendæ ea tantum bona colligentes, quæ illi eſſe poſſint utilia; noſmet conſideremus tamquam homines duobus digitis a ſepulcro diſtantes, & ignorantes, ad quos hæreditates iſtæ tranſituræ ſint, ac ſeipſos tamquam victimas morte quam primum immolandas conſiderantes. *Sermo manuſcriptus*.

Vulgo mors occupat incautos.

Nihil in morte magis metuendum eſt, quam ne incauti ab eadem occupemur; attamen nihil hoc vulgatius eſt. Ideo illam nobis exhibent Biblia vel tamquam furem noctu expilantem eos, qui in aurem vertunt utramque, vel tamquam dominum famulos reditus ſui momenta celantem; vel tamquam eſcam, quam piſcator tendit piſci deglutienti illam, qui fluminis vi ſe trahi magno cum impetu ſentit; modo tamquam diluvium repente ingruens, & ſolidiſſimas ædes proſternens. Quorſum iſtuc? Ut admoneant, nos morte iri occupatum, niſi ad id animum adverterimus; inertem, otioſamque vitam ſenſim nos ad mortem adducere, vigilantiam ad id omnino eſſe neceſſariam, alioquin filium hominis venturum, ubi minus cogitabimus, noſque in negligentia noſtra occupaturum; ac nos, qui illum non expectaviſſemus, miſere morituros. *Idem*.

In morte affectiones noſtras tantum odimus, quantum in vita illis obtemperavimus. Mors, ut ita dicam, affectionum ſepulcrum eſt, & mortis cogitatio earumdem medicina. Hæ nullas habent amplius vires cum ſpectantur ſolum veluti dolori, & pœnitentiæ origines. In morte non aliter conſiderantur, & nemo intelligere poteſt, quomodo aliter conſiderari potuerint. Reſtat ne in morte ullum chimæricarum idearum, quæ in vita habebantur, & aſſertæ felicitatis, quam mundus ſectatoribus ſuis pollicebatur, veſtium? Hæc ſeſe provehendi, ac locupletandi immenſa deſideria in hac rerum omnium univerſali privatione perſeverant? Reſtatne ſaltem ſuavis memoria earum rerum, quæ ambitioni noſtræ velificatæ ſunt, & cupiditati ſatisfecerunt? *P. Croiſet tomo 2. ſpiritualium conſiderationum*.

Horribilis corporum noſtrorum in ſepulcro ſtatus poſt mortem.

Ingrediamur ipſi ſepulcrum, & ſpectatores facti eorum, quæ ibi contingunt, illorum Jobi c. 17. verborum intelligentiam aſſequemur: *Putredini dixi, pater meus es; mater mea, & ſoror mea vermibus*. Quinam ſermo ad vivum repræſentare poteſt ea, quæ propriis oculis intuebimini? Statim ac corpus, quod adeo ſpecioſum, validumque erat, in tumulo clauditur, miram gignit vermium, aliorumque inſectorum copiam, quæ in hoc nata cadavere incipiunt iiſdem carnibus ali, ex quibus prodierunt. Alia videretis oculos devorantia, alia ex naribus profluentia, alia per os deambulantia, alia per apertum pectus ultro citroque introeuntia, & egredientia. Interim ex capite crines decidunt, nares, labia, genæ in fruſta dilabuntur; jam nihil eſt aliud, quam ſterquilinium, cloaca, & horribilis tabi, putredinisque congeries. Vermes demum toto abſumpto cadavere, ſe invicem fame acti conficiunt, abſumunt: neque reſtat aliquid præter horridum ſcelerus, qui paulatim more laborantis ædificii labitur, donec tandem omnia abierint in pulverem. Hic finis eſt omnis formæ, omnium voluptatum, omnium hujus vitæ deliciarum. Corpus hoc adeo opipare innutritum, corpus hoc tanta cura exornatum, cui molles ſternuntur culcitræ, quod tanta ſollicitudine a frigore, & calore protegitur; ecce quonam aliquando corpus hoc redigetur. *P. de la Colombiere*.

Mors de rerum omnium vanitate nos perſuadet.

Filii hominum uſquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Fierine poteſt, ut nulla res vobis mortis memoriam revocet? Fierine poteſt, ne mortis memoria vos a terrenis rebus avellat? O Terræ principes, mundani divites! ecce quo magnitudo, & divitiæ veſtræ brevi redigentur; ad ſimplex videlicet linteum, ad ſex terræ pedes, ad terribilem corruptionem, ad celerem, æternamque oblivionem. Hoc omnibus majoribus, hoc omnibus prædeceſſoribus accidit veſtris. Eorum plures fortaſſe iis in ædibus vixerunt, & mortui ſunt, ubi vos habitatis, eodemque in cubili, ubi quotidie dormitis. Vos illos ſequemini, aliique vos ſexcenti ſequentur. Intra paucos fortaſſe dies videbimini in ſandapila compoſiti, ut qui veſtrum intuebuntur cadaver, terrenarum rerum vanitatem meditentur, veſtroque erudiantur exemplo hæc, quæ vos amaſtis, contemnere. *Ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Idem*.

Deus terrorem Principibus incutit mortem illis minitatus.

Terribili, & ei, qui aufert ſpiritum Principum. Pſalm. 75. Licet Deus non aliam in homines poteſtatem haberet, quam illis vitam auferendi, hac una re quantum ſummis, principibuſque viris terrorem incuteret? Hoc oſtendit experientia. Ezechias Rex erat dives, & potens. Deus ad illum mittit Iſaiam Prophetam, a quo mors ipſi nuntiaretur. Quas effudit hic lacrymas, quæ ſuſpiria? *Flevit Ezechias fletu magno*. Iſai. 38. Rex Achab quamvis impius, ſceleſtus, & idololatra, propheta eodem ſibi mortem minitante, ſcidit veſtimenta ſua, & ad pœnitentiam confugit; & Sardanapalus Regum omnium voluptuoſiſſimus, & effæminatiſſimus quomodo immutatus eſt Jona Ninive Metropolis Regni ejuſdem everſionem portendente! *Auctor Anonymus*.

Homines mortem non cogitant niſi tamquam objectum remotum.

Quantumvis terribile ſit objectum aliquod, hoc vulgo afficimur parum, ubi illud tamquam remotum ſpectamus; ſpiritus enim ſeſe longo hic applicans intervallo, quo ab eo ſeparamur, magis gaudet quia tandiu ſe hoc malo cariturum putat, quam mœreat timens malum, quod poſt hujus boni perfruitionem eſt ſubſecuturum. Ad hæc exiſtimamus non defuturum tempus hæc mala cogitandi, cum prope aderunt, ac interim fruendum eſſe ea tranquillitate, quam tempus permittit. Hoc vero potiſſimum fit de morte. Nemo unus mori vellet, quominus antea ſedulo mortem recogitaſſet; at omnes ſupponunt, ſe aliquando cogitaturos, cogitandique tempus non defuturum, ac interim fallaci hac freti ſpe de morte minime cogitant. Dæmon non dicit amplius hominibus, quod olim progenitoribus noſtris, *nequaquam moriemini*; tentatio hæc nimis eſſet aperta, & neminem falleret; ſed illis dicit, non tam cito moriemini. Longum adhuc vitæ ſupereſſe ſpatium ſuadet, & ita

ita omnes fere mortales fallit. Invenit enim in hominum cordibus quamdam facilitatem, qua ſibi inani hæc ſpe verba dari patiuntur, optantes diutius, atque pacatius ſenſibilibus rebus gaudere, quibus adhæreſcunt. *Eſſais de Morale*.

Homines terrenarum rerum amore capti, ſpem concipiunt, ſe nequaquam tam cito morituros, cum nullum habeant hoc ſperandi locum. Quamvis quotidianis erudiantur exemplis eorum, quos mors occupat, vel conſiderare nolunt, hoc ipſum ſibi contingere poſſe, vel falſo, ac temere ſupponunt ſe ex horum miſerorum numero non futuros, atque ita ſibi nubem efformantes, qua prohibentur videre periculum, quod omnibus ſibi momentis imminet, pergunt ſuas ſequi affectiones, quin mortis periculo deterreantur . . . . Pericula hæc illi contemnunt, cum ea palam videant, ſed e contra nihil intentatum relinquunt, ut eorum ſibi auferant intuitum. Ut hac illuſione liberentur, conſiderent ſerio, ſatis eſt, vitam non minus pro nobis, quam pro aliis incertam eſſe, & nos iiſdem obnoxios eſſe periculis. *Ibidem c. 4.*

Aliud eſt mortem cogitare veluti remotam, & proximam.

Quam funeſtum eſt ſeſe mortis doloribus circumſeptum videre, ac repente oculos iis aperire objectis, a quibus ſemper fuerant avocati, & conſcientiam ſuam ſceleribus onuſtam invenire! Qui præ cæteris mortis meditationibus vacarunt, fatentur infinitum eſſe diſcrimen; illam vel eminus, cominuſve intuearis. Fortiſſimus quiſque commovetur, ubi hoc in ſtatu reperitur. Quinam igitur erunt tumultus infelicis animæ, quæ cum toto vitæ ſuæ ſpatio iis rebus vacaverit, unde ſolatium, & oblectationem percipere poterat, repente videt mortem, & quæ hanc conſequuntur, judicium videlicet, & infernum. *Ibidem c. 5.*

Dolor morientis, qui relinquere cogitur ea, quæ in vita dilexit.

Quiſnam concipere poteſt animæ mundanæ ſtatum, quam mors ab omnibus amorum, & voluptatum ipſius objectis avellit, & quæ nihil invenit, cui innitatur? Propenſio illa, quam habet ad amandum, & fruendum eo, quod amat, ſine ulla comparatione acrior fit, & ardentior; attamen quidquid amat, ab ea dilabitur, æternamque fugam capeſſit, quia ulla ſpes reliqua ſit illius iterum poſſidendi. Amittit omnia, & nihil invenit. Omnia abeunt, diſſipantur, evaneſcunt. Ut aliqua hujus rei adſtruatur idea, hoc unum dici poteſt; terribilem eſſe animæ lapſum propter ſubtractionem rerum earum, quibus innitebatur; infinitum eſſe vacuum propter annihilationem rerum omnium, quibus replebatur; miſerrimam eſſe pauperiem propter integram omnium bonorum jacturam; horribilem ſolitudinem eſſe propter ſeparationem a qualibet unione, & ſocietate; terribilem eſſe deſolationem propter conſolationum omnium defectum; crudelem eſſe lanienam propter acerbiſſimam omnium affectuum ſuorum fracturam. *Ibidem c. 7.*

Nunc eædem, quæ in morte cogitationes habendæ ſunt.

Quis noſter erit ſtatus cum una, vel duæ ad vivendum ſupererunt horæ, atque menti noſtræ occurret, poſt duas horas nullum mihi ſupererit pœnitentiæ ſpatium, Divinæ miſericordiæ janua mihi erit intercluſa? Heu! cur eædem cogitationes in præſentiarum non eamdem in nobis impreſſionem efficiunt? Etenim nonne ſemper verum eſt, fortaſſe poſt unius horæ ſpatium, fortaſſe poſt annum, poſt biennium, & certe poſt aliquem annorum numerum vitæ noſtræ tempus iri abſolutum? Numquid hoc fortaſſe, & breve hoc temporis ſpatium tantam in nobis habet differentiam? Diſcrimen inter finitas tantum magnitudines varium eſt; ſed finiti ad infinitum idem eſt ſemper. Igitur momentum hoc ſemper cum eadem formidine reſpiciendum eſt, ſive una diſtet hora, ſive die uno, vel pluribus annis, eædem habendæ ſunt cogitationes, quas tunc temporis habebimus. *Idem. c. 10.*

Non ſufficit ſterilis cogitatio, vel metus mortis.

Non ſufficit nobis mortem duntaxat cogitare, ſterilemque timorem concipere, quem nullus ſubſequatur effectus: cogitemus, quidnam tunc feciſſe cuperemus; quam vitæ rationem ſuſciperemus, ſi iterum nobis eſſet reviviſcendum; quænam pietatis exercitia nobis præſcriberemus, ſi nobis optio relinqueretur iterum tempus inſumendi; judicia, quæ tunc de tranſacta a nobis vita ferremus, & ſaltem de ea, quæ nobis supereſt, parte diſponamus ſecundum ea conſilia, quæ tunc iniremus. *Ibidem*.

Cum voluptate contemplare oportet rapidum hunc torrentem, qui in nihilum rapit ea omnia, quæ tempori obnoxia ſunt: *Momentis tranſvolantibus cuncta rapiuntur, torrens rerum fluit* . . . . omnia prætereunt, nihil temporale ſubſiſtit. Dicamus ergo, donec cum utilitate dicere licet, omnia abeunt, ne aliquando ſine fructu dicamus, omnia abierunt. *Modo fructuoſe dicamus, tranſeunt; ne tunc dicamus infructuoſe, tranſierunt*: Auguſtin. in Pſ. 31. Dicamus iis omnibus, quæ nobis placent, noſque palpant in mundo, ut ea contemnamus. Dicamus iis, quæ dura, ac terribilia videntur, ne ea metuamus. Quidquid ab oculis noſtris evaneſcit, omnes mutationes, quarum teſtes ſumus, ætates omnes, per quas traducimur, omnes vitæ noſtræ partes, quæ defluunt indeſinenter, in nobis jugiter hanc memoriam inſtaurent, omnia deſinere, ac nos quoque adeo procul a noſtro fine abeſſe, ut pro nihilo ſit nobis habendum breve illud intervallum, quo ab æternitate dividimur. *Ibidem*.

Mortis cogitatio affectus noſtros extinguit.

Nihil aptius eſt ad fallaces ideas, quas cupiditas producit, ab animo amovendas, quam cogitatio mortis, & eorum quæ illam ſunt ſubſecutura. Affectus omnes coram hoc objecto evaneſcere videntur, & per hoc quidquid in nobis eſt rationis, luminis, fortitudinis excitari. Apertius videntur quæ facienda ſunt, ac tutius, purioribuſque, & ab omni humana ratione expeditioribus intentionibus adimplelur. *Ibidem*.

Da mihi auſpicatiſſimam feliciſſimorum hominum vitam iis omnibus præditam bonis, quæ ejuſdem fulgorem, ornatum, ac delicias efficiunt; valetudine, viribus, proſperitate, potentia, opibus, voluptate, auctoritate, ſceptris, coronis. Hæc proculdubio ſpecioſa eſt, at ſimilis fragili vitro, quod poteſt decidere, ac in ſingula momenta comminui. Quamquam omnes adhibeantur curæ ad hanc vitam tuendam; illa nihilominus ex ſe teritur uſu, & ſingulis diebus ad finem accedens diu permanere non poteſt. Hac de cauſa tenuis res eſt, omniaque ejus bona ſunt contemnenda, ut quæ æterna ſunt, tantummodo habeantur in pretio. *Maimbourg Sermone pro feria quinta poſt quartam Quadrageſimæ Dominicam*.

Mors præſto eſt, ut ſingulis momentis vitam nobis eripiat.

Mors quæ nobis omnia vitæ eripit bona, ſemper eſt præſto, ut in ſingula momenta illa nobis eripiat, quin hoc momentum ſciamus; etenim omni tempore, omni in loco, ac ſexcentis modis emori poſſumus, quod conſtat ex illo, quem Salvator a mortuis ſuſcitavit, & qui erat adhuc in flore primæ adoleſcentiæ. Nihilominus moritur in florentiſſimo hoc vitæ ſuæ ſtatu, cum longiſſime ab obitu diſtare videtur. Sicarius iſte per ſexcentos irruere aditus poteſt; ſagittarius hic ſemper arcum tendit jaculando paratus, quin ictu falli umquam poſſit; venator hic habet retia ſemper diſpoſita ad aves capiendas; & fur iſte ſemper eſt præſto, ut ne opinantibus quidem ſurripiat. Ita Spiritus ſanctus in utroque teſtamento hanc exprimit veritatem; quam ſi rite intelligeremus, vitæ hujus bona, quæ ſingulis momentis amittere poſſumus, numquam eſſent in cauſa, quod vel unicum momentum eo in ſtatu permaneremus, quo mors nobis eſſet moleſta. Adde his illam ſuum vulnus inferre uno tantum momento pro tota æternitate. Semel poſſumus mori; quia in omnem morimur æternitatem; nullus eſt reditus ad mortem, quemadmodum in vitam nullus eſt; ideoque primæ mortis defectus altera meliori nequaquam corrigi poſſunt. *Idem*.

Mors conſideranda eſt, uti proxima, non autem uti remota.

Hominum plerique mortem conſiderant tamquam perſpectivæ artis umbris delineatam, quæ efficiunt, ut quod proximum eſt, remotiſſimum videatur. Nullus eſt adeo capularis ſenex, qui annum ſaltem vitæ ſibi ſupereſſe non credat. Sed nos ut errore liberet, Scriptura de vita noſtra loquitur tamquam de torrente, nube, vapore, umbra, ſomno. Non ſolum inceſſanter ad mortem currimus; ſed etiam verum eſt dicere, incipientes vivere incipere mori; primum corporalis noſtræ vitæ momentum primum eſſe momentum mortis; vivere non aliud eſſe, quam aſſidue mori, & mortem vocari momentum extremum, quod ſimul, & vitæ, & morti finem imponit. Infiniti extra ordinem caſus tempus prævertunt, & hoc momentum accelerant; anni temporum intemperies, tabidus aer, corpus, quod lapſu ſuo nos conterit, incendium, quod abſumit, aquæ exundatio, quæ ingruit, & nos deglutit. Mors omni nos expectat in loco, omnibus temporibus, ætatibus occupat. Anima igitur in manibus ſemper gerenda eſt, ut eam Creatori, quocumque tempore exquiſiverit illam, reddamus. *Ex libro Pater Craſſet de Conſolatione contra terrores mortis*.

Mors nobis frequentiſſime verſatur ob oculos, & illius ſæpiſſime obliviſcimur.

Mortis cogitatio adeo ſalubris eſt, ut voluerit Deus vivam illius imaginem nobis per ipſam vitam exhiberi: ea, quæ videmus, quæ audimus, quæ nobis eſſe debent in cibum, mortis præſentiam nobis revocare, atque ſeria meditatione in ſtatum adducere, fructus inde colligendi. Accidit tamen, quod inevitabilis hæc moriendi neceſſitas facillime traditur oblivioni. Quod adeo verum eſt, ut iidem juſti ut plurimum ad id animum non advertant, quamvis humilis, ac vigilantis fidei non minimus effectus ſit, hanc fovere cogitationem quantumvis utiliſſimam, & neceſſariam; quod procedit ex quadam amoris proprii reliquia,

quem ſanctiſſimus, & perfectiſſimus quiſque omnino ex corde ſuo nequit avellere. Heu! mors, quæ in ſingula momenta nobis minitatur; quamprimum nos vel in beatorum, vel in reproborum numerum debet rejicere; a quibus extremis ea tantum re ſeparamur, quæ rerum omnium fragiliſſima eſt, videlicet vita. Nihil hac veritate verius, nihil terribilius; quantumvis intrepidos, atque imperterritos noſmet ſimulemus; hic tamen humanæ carnis eſt finis; & fruſtra ab hoc termino faciem avertimus; tantum enim abeſt, quod illum non cogitantes effugiamus, ut in dies magis accedat? Sed tanta mortalium cæcitas eſt, ut terribilis mortis illorum hora, ſit veluti ſomnium: & cum de hac illis habetur ſermo, cum lethargicis, vel potius mortuis res eſſe videatur. Ad tam magnum tonitru, qui non expergiſcitur, non dormit, ſed mortuus eſt. *Idem.*

Quænam ſtupiditas! Agitur de maximo ſalutis noſtræ negotio; fatale momentum rem omnem decernere debet; momentum hoc incertum eſt, plerique eodem occupantur. Hoc Dei filius dicit, ac omnibus dicit, qui poſt nos uſque ad extremum judicii diem venturi ſunt: vigilate, orate, eſtote parati, mors nil tale cogitantibus irruet. Attamen nemo recogitat, nemo hoc timet periculum, ubi de rebus omnibus, deque æternitate res eſt. *Gens abſque conſilio; & prudentia: utinam ſaperent, & intelligerent, & noviſſima providerent*: Deut. 32. Igitur *vigilate, quia neſcitis diem, neque horam.* Matth. 24. & 25. *P. Novet in Seceſſu præparationis ad mortem.*

Plurimi in terris ſunt, qui ſæpe morientes, mortuoſque vident, quin ſemetipſos conſiderent, & qui vivunt quaſi certi eſſent ſe numquam morituros. In aliis vivam adſpiciunt imaginem eorum, quæ ſibi ſunt eventura; neque inde pro ſe aliquid inferunt. Impiorum mors quantumvis terribilis metum illis non incutit; & mors juſtorum, quæ in oculis Dei eſt pretioſa, illos ad imitandum non allicit. Quotidie morbi, ægritudines, annorum numeros, cognatorum, amicorumque jactura nos admonet, imminere mortem, ac ſingulis momentis eadem occupari nos poſſe; ſed peccatum, vel terrenarum rerum amor hominibus veræ rationis adimit uſum. *Ex Aſceticis tractatibus Presbyteri de Sancta Martha.*

Eludimus mortis cogitationem, cum caſus aliquis illam nobis excitare poteſt.

Mirum! Non ſolum mortis memoriam non revocamus, ſed illam infirmare, vel eludere adnitimur, cum invitis aliquod objectum illam nobis obtrudit. Conſanguinei, vel amici mors dolore nos conficit; & quin ex adeo utili monito fructum capiamus, omnem illius vim retundere conamur, noſque metipſos confirmamus rati hujus mortis cauſam nobis procul abeſſe. Adoleſcens ille, qui ſemper inter gaudia, & voluptates verſabatur, & cui plena, & robuſta valetudo longam annorum ſeriem polliceri videbatur, triduo, ad ſummum quatriduo in ipſo ætatis flore, vegetoque corporis habitu maligna rapitur febri. Caſus, quod adeo præter omnium opinionem accidit, percellit, turbat, conſternit eos omnes, quibus ſors eadem poteſt contingere. Nihil amplius requireretur ad cordis converſionem; triſtis hujus eventus recordatio, ſimilis exitus timor quoslibet, licet lætiſſimos, feſtos dies perturbaret, ac triumpharet gratia, niſi amor proprius omnia hæc converſionis conſilia ſuffocaret. Adoleſcens erat, bene valens, ac robuſtus; at quæritur curioſius, utrum aliqua in re intemperantius ſeſe geſſerit, utrum in loco, ubi aer contagioſus eſt, vixerit; utrum aliquod præſenſerit malum, quod ab ipſo fuerit neglectum; utrum in judicio de morbo ejuſdem ferendo fuerit erratum. At cur omnes iſtæ habentur perquiſitiones? aliqua videlicet inquiritur ratio, quæ nobis animos faciat; & quia hoc in caſu nequaquam nos eſſe ſperamus, illico nobiſmet perſuademus nihil eſſe, quod timeamus. Omnem abjicere ſtudemus ſollicitudinem; monitum adeo ſalutare, inanem vocamus terrorem; & mortis hujus memoria non alium habet effectum, niſi recentem præcautionem, ut diutiorem vitam nobis comparemus. *Idem.*

Nolumus mortem cogitare, & cur.

Mortis cogitationem timemus; timemus enim effectum, quem neceſſario ſalutaris hæc cogitatio producit. Si ſæpe mortem cogitaremus, non adeo mundum diligeremus, non adeo in omnem licentiam effrænes eſſemus; & quamprimum ad mores reformandos animum adjiceremus; quod quidem animus refugit . . . . Profecto ſi in conſiliis, cæptiſque mortem cogitaremus, plurima effugeremus mala, & peccata. Affectiones cum mortis cogitatione diu foveri non poſſe videntur. Mundi hujus gloria, opes, honores, cum per mortis umbras reſpiciuntur, omnem ſuum nitorem amittunt. Statim plurimum deperit de voluptatum illecebra, & ſtatim mundi hujus vanitates faſtidimus. Ferre numquam mortis imaginem intuemur; quin meliores evadamus. At nonne hoc ipſum timetur; nonne hæc cauſa eſt, propter quam mors non cogitatur? *Idem.*

Difficile eſt ne dicam impoſſibile eum bene mori, qui mortem numquam cogitaverit.

Numquid facile eſt bene mori? Semel tantum mori poſſumus, & citius, quam arbitramur. Fierine poteſt ut ſancte moriatur, qui numquam cogitaverit ſe moriturum? At fierine poteſt, ut nos morituros minime cogitemus, cum omnia mortis imaginem oculis noſtris objiciant? Eorum qui ad plures abierunt, hiſtoria; fumoſæ majorum imagines, omnia mortis memoriam inſtaurant. Quanta infelicitas illi eſt mori, qui fere numquam mortem cogitavit! *Idem.*

Mortem non cogitamus licet, ſexcenta objecta illius excitent recordationem.

Bona fide quæſo, ſi ita certi eſſemus numquam nos morituros, uti certi ſumus non ſemper eſſe victuros, aliane vivendi ratio inſtitueretur? Numquid ampliora conaremur? numquid magis ambitioſa deſideria conciperemus? impenſius triſte hoc contubernium diligeremus? minuſne, quam ſit, cogitaremus, ut in altera vita theſauros congereremus? Mirum! Mortis cogitatio, nobis invitis, noſtra perturbat ſolatia indeſinenter admonens, maximam in terra felicitatem fulguris inſtar evaneſcere. Nihil fere alicujus momenti aggredimur, ubi nihil occurrat, a quo de morte non admoneamur. Pauci contractus fiunt, ubi nulla mortis mentio habeatur: hoc ſibi cavere dicitur; & quidquid conamur, oportet mortis cogitationem locum invenire in eo, quod maximum vitæ ſolatium exiſtimatur. In nuptialibus tabulis hæc non prætermittitur clauſula, in morte, poſt mortem, alteruter qui fuerit ſuperſtes &c. quaſi nulla necti poſſe ſocietas, quin de fatali die, quo obrumpenda eſt, cogitaretur. In mundo maxima vitæ felicitas eſt, ſi ſors ad extremum uſque vitæ ſpatium arriſerit. At in altera vita quid fiet? *Idem.*

Mors finem imponit cuilibet felicitati.

Mors momento nitidiſſimæ cujuslibet fortunæ ſplendorem extinguit. Licet potentiſſimus eſſes Terrarum Monarcha, mortalium abjectiſſimo te mors exæquat. Non timeris amplius; tui minor adhuc habetur ratio; cadaver tuum omnes horrent; ſortem tuam miſerentur; aulici, domeſtici, ſubditi, omnes alteri parent Domino. Quot magni Principes in æterna oblivione ſepulti! At ſanctus es? Mors meritis recentem addit nitorem; licet minimus eſſes e plebe, licet in caligine, ac egeſtate dies tuos traduxiſſes, licet in xenodochio, vel in captivitate ſpiritum efflaſſes, populi, Magiſtratus, Principes, Reges, Imperatores ad Sancti pedes proſternuntur; omneſque Mundi dignitates coram pretioſis Sancti viri lipſanis evaneſcunt. Ita ſerius, ocyus virtus debito honore non fraudatur. *Idem.*

De mortis certitudine.

Certum eſt nos morituros. Palatia ædificemus, omnes vitæ voluptates guſtemus, omnes terras nominis noſtri gloria repleamus, omnia in morte deſinunt. Sumus inter duos mundos; primum poſt terga relinquimus, alter nos agit ante ſe. Patres noſtri mortui ſunt, nos quoque ut illi moriemur. Numquid cum aliquo paciſcitur mors? ſinit ſe vinci adoleſcentum viribus, aut ſenum precibus flecti? Omnis ætas, omnes tempus moriendo idoneum eſt. Cogitatio hæc veros occupat Chriſtianos; at ii, qui nomine tenus chriſtiani ſunt, id non conſiderant. Qui eos videret adeo longe ſua deſideria proferre, tantaque opum congerendarum inire conſilia, nonne eos immortales eſſe putaret? Attamen exiguus hic dierum vitæ noſtræ durationem componentium numerus ſenſim defluit; quodlibet momentum partem noſtrum metipſorum avellit; ad præſtitutum terminum pervenimus: omnis illecebra deſinit, & quidquid nos faſcinat, evaneſcit nobiſcum. *Ex Morali Dictionario ſermone primo de Morte.*

Mortis cogitationem quantum poſſumus, avertimus, ac noſmetipſos decipere gaudemus.

Mirum! licet perſuaſum ſit, aliquando nos morituros, amor proprius fatalem hanc habet artem a nobis extremum hoc amovendi momentum, vel illius cogitationem avertendi. Amor hic proprius prohibere non poteſt, quo minus credamus, vitam hanc deſituram; ſed adeo remotos illi terminos ſtatuit, ut nonniſi poſt multorum annorum ſpatium ſit cum morte commutanda. Facere non poteſt quin credamus, quo magis ætate provehimur, eo magis ad ſtadii hujus finem properare; verum adnititur perſuadere, adhuc vix e carceribus emiſſos nos eſſe . . . . . . Hinc fit, quod vivimus, perinde ac incerta mortis hora quodammodo dubiam mortem efficeret. Quin aliquam vitæ noſtræ actionem efficiamus, quaſi illius eſſet poſtrema, & hac peracta nobis eſſet moriendum, noſtra dumtaxat ſequimur ſtudia, reliqua vero in futurum rejicimus, quod quantum fieri poteſt a cogitatione amovetur. *Idem.*

Contra divites, & nobiles ſuæ mortalitatis oblitos.

Judices terræ non ſemper in ſubſelliis, ac Tribunalibus ſedebitis; non ſemper videbitis eos, qui coram vobis lites agunt, anxie felicem, vel infelicem litis ſuæ exitum præſtolantes. Adveniet dies, quo faſtus hic, quo ſepti eſtis, vos deſeret, non alias ædes habebitis, quam ſepulcrum, non alia ſtipati eritis corona, quam vermibus, non aliam ſedem invenietis, quam ſex terræ pedes, cum interim immites divinæ juſtitiæ miniſtri vos indeſinenter torquebunt, ſi veſtra auctoritate abuſi fueritis. Sæculi divites non ſemper affluentibus hiſce deliciis perfruemini; quamprimum ex manibus veſtris elabentur divitiæ. Ex univerſa hac magnificentia, quæ vos ſupra tot miſeros evehit, unicum vobis ſupererit ſudarium, quo cadaver obvolvatur, cum interim fortaſſe bona veſtra ad ingratos hæredes migrabunt, qui veſtri ne meminerint quidem. Politici hujus mundi in præſentibus adeo perſpicaces, & adeo cœci in futuris, non cogitatis amariſſimam, ſed inutilem pœnitentiam, qua torquebimini, eo quod abuſi fueritis ingenio veſtro; quod ſapiens conſilium exiſtimaſtis id, quod imperia confirmare poterat, vel evertere; quod non vidiſtis ea, quæ vobis proxima, interna, & domeſtica erant, ex quibus felix, vel infelix æternitas veſtra pendebat. Fortunæ mancipia, qui turpi ſervitute in Principum clientelam confugitis, ſimiles mihi videmini pueris in arena ædificantibus; quamprimum nutantia hæc veſtræ vanitatis opera labi, evertique videbitis. Martyres impuræ libidinis, qui ſexcentis torquemini curis, ut alicui creaturæ placeatis, veſtros labores, veſtramque ſollicitudinem irridenti, hoc idolum, quod inſane colitis, ex ſe corruet, & confringetur; forma hæc, quam deperitis, ſuas amittet illecebras, & mors eam ita deformabit, ut oculi veſtri ſpectaculum turpe ſuſtinere non valeant . . . . Adoleſcentulæ, quæ in mundo niteſcere incipitis, non eritis ſemper in cœtibus deliciæ; pulchritudo hæc defloreſcet, & ſi, ut olim filiæ Jeruſalem, elato nunc inceditis capite, ac templorum inſtar ornatæ, quamprimum eritis objecta non oblivionis tantum, verum etiam horroris iis, qui vobis blandiuntur, atque habent in pretio. *Idem.*

In morte rerum ternarum agnoſcitur vanitas.

Tunc inane illud phantaſma, quo tot alii, & fortaſſe nos ipſi quoque decepti fuimus, evaneſcet. Antea quidem fallaci fulgore miſeros fortaſſe fallebat, ſed in morte propius illius turpitudo, ac fœditas deprehenditur, S. Eucherius inquit. Antea nos ſeducere adnitebatur eo nitore, qui aliquid reale videbatur habere: *Prius ſeducere vero cogitabat fulgore*, tunc vero ne poterit quidem nobis imponere fallaci voluptatum ſpecie: *Jam non valet falſa oſtentatione corrumpere.* Antea mundus hic nullum habebat ſolidum bonum, tunc vero, & fragiliſſimum quodvis illi deerit: *Solidi bonis carebat; etiam deficit caducis. Idem.*

Peccatoris in morte tumultus.

Pharao præ cæteris turbatus ac perterritus maxime fuit, cum undequaque Erithræi maris fluctibus una cum exercitu involutum ſe vidit. Immenſa illa aquarum copia, in quam ſeſe temere implicuerat, illi ſummum terrorem incuſſit: voluiſſet retro ſeſe recipere, ſed mare viam intercluſerat; voluiſſet litus arripere, & ſuæ ſaluti conſulere, licet toto hæc ſibi ſtetiſſet imperio; ſed jacta erat alea, eique neceſſario fuit intereundum. Exemplum hoc ad vivum nobis exhibet, quomodo peccator in morte affectus ſit. Moleſtæ quædam cogitationes, funeſtique caſus per intervalla ipſius requiem turbabant; verum ſexcentis ſolatiis tumultibus ſuis tranquillitatem ſtudebat afferre. At in morte longe aliter accidit; Divinæ juſtitiæ fluctus irruunt in illum, eumque involvunt. Vellet pœnitentiam agere, ſed pœnitentiæ aditus eſt intercluſus. Vellet vitam ſobriam, caſtam, in paupertate, & pœnitentia duxiſſe: ſed cum illo inutilia hæc pereunt deſideria. *Dictionarium Morale in Moralibus Conſiderationibus de morte.*

Mors humilitatem nos docet.

Undenam viri nobiles humilitatem melius percipere poſſent, quam ex mortis meditatione, cui natura nos omnes ex æquo ſubjecit? Æquo pulſare pede pauperum tabernas, regumque turres; eadem ingeſta humo, & divitum nitorem, & pauperum ſqualorem contegere; iſtic eumdem tribuere finem & ſuperborum proſperis, & humilium rebus adverſis, neutrorumque aliquod veſtigium relinquere; hoc nonne idem eſt ac in Principum virorum auriculam ſucclamare; vide quid facias; namque morieris; utere bene ſorte tua, ne in te Deus ſuam juſtitiam exerceat: terra, quam audacter calcas, te obruet; divitiæ, & paupertas pari gradu in nihilum currunt, time ne terrena hæc felicitas tua in æternum tibi cedat infortunium . . . . Mors neque honores, neque dignitates, neque opes, neque talenta veretur. Quænam humiliatio ſuperbis hominibus, qui morientes ſeſe æquatos vident abjectiſſimis, quos ſuperbe, & non ſine indignatione ferebant? Hoc

magnum eſt libramentum, quo prohibetur homo, ne ob talenta, & merita, quæ ſibi adeſſe arbitratur, intumeſcat. Fruſtra aliquis magnis actionibus, eximiiſque operibus nominis immortalitatem ſtudet acquirere. Tempus omnia vorat; nomina in marmore, & ære inſculpta delet. Sed licet adhuc ejus fama diu vigeret, numquid magna mortuo conſolatio eſt, a viventibus prædicari? Quid proſunt homini magnifici tituli, & nomen apud poſteros celebratum, cum interim cadaver quidem in tumulo computreſcit, anima vero non aliam habet, quam dæmonum hæreditatem? Attamen illi nihil poſt mortem ſupereſt, quam inanis hæc gloria, *Auctor Anonymus.*

Mors efficere debet, ut cogitemus quod ſumus, & quod erimus.

Quandoquidem mors adeo terribilis eſt, ſæpe illam recogitare debemus, ut eadem tamquam præſentiſſimo contra peccatum antidoto utamur. Certum eſt, affectus coram hoc objecto non audere caput attollere, ipſumque excitare quidquid rationis, luminis, ac vis ineſt animæ, ut aliquod ſalutare inquirat remedium iis malis, quæ mortem ſubſequi poſſunt. Hic enim Dei effulget potentia, & infiniti hujus Entis metus incipit agnoſci. Quemadmodum enim principis poteſtas numquam magis terribilis videtur, quam cum hominem ex populi fæce eductum, inſignique aliqua dignitate decoratum, rurſus in priſtinam dejicit vilitatem ſimplici immutatione voluntatis: Dei poteſtatem numquam apertius intelligit homo, quam cum ab illo ex terræ ſinu eductus, animaque rationali præditus, qua a cæteris creatis rebus diſtinguitur, illam audit ſententiam *Pulvis es, & in pulverem reverteris.* Daniel cinere uſus eſt, ut oſtenderet vanitatem numinum, quæ a Chaldæis adorabantur. Noſtrorum ſepulcrorum cinis palam oſtendit vanitatem bonorum, quæ tamquam idola colimus, ac docet, alia in cœlo eſſe objecta, circa quæ amor noſter debet verſari. Si ambitioſus Princeps ſæpe cogitaret, ſervum ſuum æque ac ſe vivere, ejuſque cineres quam primum cum ſuis eodem in ſepulcro eſſe permiſcendos, neque ab illo diſtingui poſſe, niſi felici morte; ille ne ſuperbas adeo ſuæ potentiæ, ac nobilitatis ideas foveret? *Idem.*

Vigilandum eſt, ne incautos nos occupet mors.

Nulla veritas eſt ſæpius in Evangelio repetita, apertius indicata, validius probata, quam inexpectatus hic mortis adventus. Ut illum melius intelligamus, a Jeſu Chriſto aliis, aliiſque modis effertur. Hunc primum apertiſſimis explicat verbis, cum non ait ſolum mortem venturam, ſed addit aliquid ulterius dicens ea venturam hora, qua minus exiſtimabimus; *Qua hora non putatis*, Luc. 12. *Qua neſcitis hora*, Matth. 24. ita ut inopinatum mortis adventum quodammodo fidei articulum vocare poſſimus. Præterea veritatem hanc magis ob oculos ponit variis uſus ſimilitudinibus, dicens illam furis inſtar venturam omnem induſtriam ſuam in hoc collocantis, ut eos, quibus ſuffuraturus eſt, incautos decipiat; atque non pleno die, cum homines vigilare, ſibique cavere putat, ſed concubia nocte advenientis, cum illos alto demerſos ſomno in utramque aurem ſternere exiſtimat. *Pater Bourdaloue.*

Omnia in morte mutabuntur.

Si peccatorum conditio in terra exultantium ſemper eſſet duratura, nihil eadem eſſet utilius; & ſi illa juſtorum, qui opprimuntur, nullum eſſet finem habitura, nihil eſſet calamitoſius. Verum ubi cogitamus hæc omnia adeo brevi manſura, in morte generalem eventuram rerum omnium ſubverſorum faciem immutabit; omnes hoſce magnificos, ſuperboſque titulos, ſub quorum nitore humana imbecillitas ſe contegere ſtudet, locum ceſſuros titulo mortalium, quo delebuntur univerſi; omnes haſce chimericas diſtinctiones, quas humana invexit ſuperbia, ut alii aliis præfulgerent, ad ſepulcra, epigraphes, & epitaphia redigi; ex tot opibus, hæreditatibus, prædiis, nihil præter ſex terræ pedes nobis manſurum; ex omnibus hiſce voluptatibus, ſolatiis, deliciis, nihil reliquum nobis futurum præter inutilem pœnitentiam ejus vitæ, quæ integra ſalutis noſtræ operi erat impendenda, in nugis illis inſumptæ: & ex iis, quæ fecerimus, nihil nobis profuturum, quam virtutem, quæ abjectiſſimum quemlibet ex ima plebe hominem ſupra illos collocat, qui in peccato ad plures abierint: cum inquam hæc cogitamus, mundus nihil videtur: illius bona, & mala nullo in diſcrimine habentur: tranquilla facie omnes vitæ hujus mutationes, inverſioneſque ſpectantur. Hæc omnia cum mortis cogitatione collata ineptiæ, nugæque pueriles videntur. *Specimina ſermonum pro decima quinta poſt Pentecoſten Dominica.*

De inevitabili mortis neceſſitate.

Quibuſcumque utamur artibus ad mortis cogitationem ſemovendam, illa ſemper tamen accedit; ejuſque amoventes imaginem, fatale ejuſdem momentum minime avertimus. Pernix momentorum ſeries ſibimet invi-

in vicem ſuccedentium indeſinenter nos impellit ad tumulum; humanarum rerum torrens defluit, & ſecum rapit obvium quodlibet. Itaque intereſt noſtra ſedulo noſmet ad inevitabilem hunc tranſitum præparare, atque inter noſtra peccata, & mortem pœnitentiæ intervallum ſtatuere. Quid ſumus niſi congeries infelix qualitatum contrariarum ex ipſa nativitate? Ita neceſſe eſt, ut contrariarum qualitatum pugnam ſubjecti deſtructio ſequatur. Vivere non poſſumus, quin alimentis utamur, neque his uti, quin corpus mutetur; quæ mutatio ſenſim mortem producit. Omnia vitæ noſtræ momenta nihil aliud ſunt, quam mors aſſidua; ſingula eorum ſecum vitæ noſtræ partem rapiunt non ultra redituram. Expiramus eodem pacto, quo reſpiramus; extremus flatus, quo noſtra extinguitur vita, non differt ab illis, quibus alitur. Sentimus etiam virium noſtrarum diminutionem; & ex ſubitis temperamenti noſtri revolutionibus, tamquam mortis oppugnationibus, quæ efficiunt, ut illam in anteceſſum experiamur, facile conjectare poſſumus futurum, ut paulo gravior febris, ac magis intenſus dolor ad ſepulcrum nos adigant, cum ea, quæ patimur, mala aperte nobis vim faciunt. *Specimina ſermonum pro Adventu.*

Avari-divitis in morte teſtamentum.

Siccine ſeparas amara mors? I. Reg. cap. 15. Sine dolore non poteſt relinqui quod magni fit; cumque omnia hujus mundi bona ab hoc homine maximi fiant, morte hæc illi auferente, graviſſimis doloribus excruciatur. Fingite vobis hominem divitem, potentem, in lectulo poſitum, cui tandem poſt ſexcentas ambages mortis grave nuntiatur periculum. Mihi videntur omnia tunc animo illius occurrere bona, honores, voluptates. Me miſerum! Relinquenda ergo eſt hæc perſona, hæc dignitas, hæc domus, hæ divitiæ: *Siccine ſeparas amara mors?* Aliquis illum hortatur, ut ultimas tabulas ſcribat? quonam ictu fulmineo percutitur! Amiciſſimus ſibi, quem unum diligit, petit, ut ſibi aliquid leget? quo fremitu, quo tremore hoc profert verbum: *lego*. Quam grave hoc verbum eſt illi, qui opibus tantum congerendis vacabat! *Lego*. Quam differt hic ſermo ab eo, quo antea uti conſueverat, dicens inceſſanter: *Affer*, *Affer*! O te miſerum! Invitus dicis: *lego*. Si rapere, & auferre poſſes, auferres; hæc ideo relinquis, quia te mors adigit; tu pluris ea facis, quam antea, & hic dolor tuus eſt, hæc pœnitentia. Quomodo autem hunc in mortem dolorem effugere valeatis, adeſte. Flocci facite hæc terrena, plurimi vero cœleſtia. Tunc haud ægre dicetis *lego*. Haud gravate relinquitur, quod flocci penditur; & libenter exiguum bonum relinquitur, cum longe majus poteſt poſſideri: *Specimina ſermonum pro feria quinta poſt quartam Quadrageſimæ Dominicam.*

Si mortem cogitamus, non credimus nos brevi morituros.

Moriendum eſt, omnes uno ore fatentur; ſed quamprimum moriendum eſt, hoc nemo fateri vult; immo ſibi oppoſitum vult perſuadere, perinde ac mortem remotam eſſe exiſtimans eamdem removeret. Profecto cum vita ſit brevis, quæ quotidiana eſt hominum querela, mors remota eſſe non poteſt: attamen illam ſemper tamquam procul ſepoſitam intuemur, quod efficit, ne tantam in animis noſtris vim habeat. Adoleſcens in ſua confidit adoleſcentia, ætate provectior in robore, & viribus; ſenex in valetudine optima; & ſinguli putant ſe rationes habere vivendi, eaque contra mortem ſubſidia, quæ in aliis deſiderantur. O inſanam hominum illuſionem! O mentes cœcas! *Pater Nepveu, Tomo primo Chriſtianarum Conſiderationum.*

In morte ſententia immutatur.

In morte homo de rebus ſanum ferre incipiet judicium: *O mors! bonum eſt judicium tuum.* Cum cogitabit tempus vitæ quantumvis diuturnæ, beatæque tranſiiſſe, ideoque ſibi idem eſſe ac ſi numquam fuiſſet; cum lumina æternitatis, in quam momento ingreſſurus eſt, immenſum illud aperientia diſcrimen inter ea, quæ æterna, & infinita ſunt, & ea quæ temporalia, & finita, tandem illam eludent illecebram, qua hactenus ille faſcinatus fuit; diſſipatiſque ex oculis ejus iis bonis, quibus fuerat deceptus, ſimul & horum nihilum, & ipſius dementiam oſtendent eo quod temporalia bona æternis prætulerit; quinam illius ſenſus erunt cæcitatem ſuam intelligentis? At qui nunc ſenſus veſtri ſunt? *Idem, Tomo 3.*

Omnes actiones hunc ſibi proponere debent finem, bonam videlicet mortem.

Quemadmodum omnes in circulo lineæ ad illud punctum collimant, quod centrum vocatur, ita actiones omnes, deſideria, conſilia hominis ad illud temporis punctum, ad illud fatale mortis momentum tendere opus eſt, a quo pendet æternitas. Nihil prætermittendum eſt, ut eo tempore in gratia, & Dei amicitia inveniamur; nam quamvis bonorum omnium, valetudinis, quietis, honoris jacturam feciſſem, quamvis malis omnibus obrutus eſſem; ſi mortis momento Dei gratiam invenior poſſidere, quid mihi omnia illa officere poſſunt? Unicum hoc momentum omnia reſarcit, omnia reparat detrimenta. Quamvis omnia poſſediſſem bona, omnibus gaviſus fuiſſem voluptatibus, & honoribus, quamvis mortalium omnium beatiſſimus fuiſſem; ſi eo temporis puncto peccati labe pollutus inveniar, quid mihi illa proſunt? Omnia perdidi; actum jam eſt de me in omnem æternitatem. Unicum hoc momentum omnia deſtruit. Nihil igitur hoc in mundo eſt quod agam, niſi ut momenti illius diligentiſſimam curam geram, ac illud tutum, certumque faciam: cæterum igitur oblivisci volo, ut in hoc unum omnes induſtriæ, & ætatis meæ nervos intendam. *Idem.*

Vigilandum eſt, ne incautos mors occupet.

Nulla veritas eſt, quam animis noſtris impenſius Salvator imprimere ſtuduerit, quia quid inde conſecuturum erat, intelligebat. Illam conceptis, explicitis, iteratiſque verbis nobis aperuit; nec non comparationibus, parabolis, & exemplis, iterum iterumque explanavit. Aliquidne ultra efficere poterat, ut vigilare, ac nobiſmetipſis ſedulo cavere cogeret? Nos ideo terret, ut tutos faciat; minitatur ſe nos incautos occupaturum, ne occupemur; atque ut ea evitemus funeſta mala, quæ ſatis intelligere non poſſumus, & quæ nobis imminent, ſi morte occupamur. Noſtram videt cæcitatem, eamque miſeratus nihil reliquum facit, ut nos illuminet. Væ nobis, ſi tot luminibus oculos claudimus. Noſtrum videt ſoporem; & omnibus hiſce minis nos excitare deſiderat. *Idem.*

De mortis deſiderio.

Natura neceſſarium nobis inſpirat felicitatis deſiderium. Fides docet, in cœlo tantum nos aſſecuturos perfectam hanc beatitudinem, poſſidentes Deum, eademque fruentes, qua ipſe fruitur, felicitate, videlicet æterna, univerſali, infinita. Ratio perſuadet, beatitudinem hanc nonniſi per mortem poſſe obtineri; & nihilominus quin illam ardenter optemus, tamquam malorum omnium maximum formidamus. Ad ſolum illius adſpectum totis artubus contremiſcimus; neque de ea ſermonem audire poſſumus, quin trepidemus. Quænam in ſenſibus noſtris contradictio! Quænam in votis oppoſitio! Ad ſupremum pervenire bonum contendimus, & viam, qua unice ad illud aditus patet, ingredi nolumus? Vel fidem, vel ſententiam mutemus. Vel ceſſet felicitatis cupiditas, vel ceſſet mortis, quæ una beatos efficere poteſt, formido . . . . . Poſſumuſne mortem non expetere, qua & in eum ſtatum, ubi Deum lædere nequimus, & in felicem ejuſdem amandi neceſſitatem adducimur? *Idem Tomo 4.*

Mors nobis oſtendit curas laboreſque plurimorum mortalium inutiles eſſe.

Si mors certa eſt, & inevitabilis, qualis re ipſa eſt; quonam, auditores, tot curæ, laboreſque veſtri tendunt? Cur tot prælia, lites, jurgia pro terræ puncto; quandoquidem aliquando moriendum eſt? Vetus quidam Sapiens olim mortales exprobrabat, quod ædificarent quaſi numquam morituri. Heu! nonne hoc ipſum vos facitis? Semper cupientes, ſemper locupletantes, ſemper divitias divitiis aggerentes. Heu! tam pauca homini ſufficiunt; vos autem inſatiabiles eſtis; concupiſcentia veſtra nullis finibus continetur. Veſtra conquiritis commoda; parum eſt: rerum omnium affluentia frui vultis; at nondum ſatis eſt: copiam amatis, nihilque famem hanc poteſt explere. Verum eſto, ſi rebus iſtis ſemper eſſetis perfruituri: ſed ſi aliquando moriendum eſt; ſi hæc omnia ſunt relinquenda; nonne rediculum eſt ædificare, ubi permanſuri non eſtis, bona congerere, quibus non eſtis uſuri, quin cogitetis, qui de vobis ſit in omnem æternitatem futurum? Quæ dementia velle ad modicum tempus beatos eſſe, quin illud quæratis, ne in æternum miſeri ſitis? *P. Deligendes in quodam ex ſermonibus de Morte.*

Quid mors in corporibus facit.

Si umquam attentius conſideraſtis eam, quam diuturna, ac brumalis hyems in hortis, agriſque gignit, vaſtitatem, quin ibi fructum, florem, foliumque relinquat; hoc ipſum præter propter in hominis corpore mors facit. Si vidiſtis urbem a victoribus igni, ferroque vaſtatam, everſa mœnia, ædes ab ipſis fundamentis convulſas; hic, illic laborantes parietes, ac murorum ruinas, quin judicium inde ferre poſſit, quid olim fuerint; obſtructas vias, impeditaſque ruderum, cæmentorumque congerie, humum egeſtam, ſaxa hac illac projecta, tectaque cum fundamentis permixta; hæc ferme eſt corporis imago, quod morte direptum, & conſumptum eſt. Illud intrinſecus, & extrinſecus conſiderate; nulla eſt partium œconomia, nullus decor, non color, non actio, non motus: oculi non vident amplius, aures non audiunt, manus, pedes, lingua non moventur, non palpitat cor. Nullum eſt amplius diſcrimen inter corpus hoc, & ſimulacrum, niſi quod illud oculi ferre non poſſunt, ac ſtatim contabeſcens in cinerem, pulveremque redigitur. Ecce quo tendit univerſa hæc hominum ſuperbia, omnis pompa, & nitor, quem tantopere admiramur. *Idem.*

Illico a nativitate incipimur mori.

Ex ipſo temporis momento, quo vivere, mori etiam incipimus; ſtatim enim ac effluxit momentum, quod in lucem nos edidit, hoc, cum non amplius futurum ſit, jam in mortis jura conceſſit. Quamvis mors, & vita invicem adverſentur, ita tamen arcte invicem conjuncta ſunt, ut utriuſque idem ſit curſus; & ne uno quidem momento invicem valeant ſeparari. Non ſecus ac arena, quæ in clepſydra extremo labitur, horam non conſtituit, ſed horæ finem indigitat; ita extremum vitæ ſuſpirium, in quo mortem reperimus, non efficit, ut hæc oriatur, ſed illam cum ipſa vita dumtaxat abſolvit. Ad hæc ſi in otio vivere, vivere non eſt, & multo magis ſi in vitio vivere, mori eſt; quiſnam gloriari poteſt, ſe integrum in hoc mundo annum vivere, cujus partem in otio, alteram vero in ſcelere inſumit; & quid tandem in morte a nobis pro Deo factum inveniemus? Multi pluribus annis in terra permanent; at non inde ſequitur, illos diu vixiſſe, vetus quidam ait; & ut chriſtiane loquamur, aliud eſt vivere, & aliud videre labi tempus homini conceſſum, ut ſalutem ſuam operetur, & mereatur æternitatem: *Cardinalis de Richelieu in perfectione Chriſtiani.*

Ad quid prodeſſe debeat mortis timor.

In morte magis formidanda non eſt illius ſubeundæ, ſed prævertendæ, metuendæque neceſſitas. Quod illam præcedit, magis terribile eſt, quam quod illam comitatur, ejuſque dolores minus periculoſi ſunt, quam metus. Et ratio conſtat. Hi enim metus, cum nimis violenti ſunt, morientium rationem perturbant, conſtantiam proſternunt, prohibentque, ne ſeſe præparent morti ea tranquillitate, quæ ad illam ſuperandam eſt neceſſaria, Verum ea in occaſione Chriſtianiſmi ſpiritus, & bona conſcientia quid agit? Morienti quamdam conſtantiam, animæque magnitudinem inſpirat, a Philoſophorum ſuperbia, militumque furore abhorrentem; quæ efficit, ut duplici obtutu mortem intueatur, quorum altero omnes ridet illius metuendæ rationes, altero vero illa conſiderat, quæ eamdem leniorem efficere poſſunt: *Hoc cogitet Chriſtianus, ut totam mortis poſſit deſpicere, & calcare formidinem;* S. Petrus Chryſologus inquit. Si mortem ſolam reſpexeritis, excitabit illa quidem in vobis tumultus ſaluti veſtræ periculoſos; ſed Chriſtianus ratione ſimul utatur, & fide, ut videat quas habeat ſperandi cauſas, ut hoc pacto mortis vincat pavorem. *Biroat in Funebri quadam oratione.*

Quandoquidem corpora noſtra in pulverem ſunt redigenda inutile eſt illa in deliciis verſari.

Hos ſenſus illi voverunt, qui vere converſi ſunt; tandem enim, dicebant, cur indulgendum eſt corpori quod jam morte damnatum eſt? Poſtquam ſonti capitis ſententia annuntiata eſt, non eſt cur tempus teratur, eidem exquiſitas epulas inſtruendo. Si quod temporis intervallum reſtat adhuc inter ſententiæ pronuntiationem, ejuſdemque executionem, neceſſarium illi dumtaxat ſuppeditatur, ne ſupplicii ſui viribus cedat, atque ut alioquin tempus habeat, quo cogitet mortem. Quid autem eſt corpus noſtrum? Sons eſt, in quem jam lata eſt mortis ſententia, & qui a divina juſtitia damnatus eſt. Dilata quidem in tempus eſt hujus ſententiæ executio, verum aliquando eſt exequenda. Non eſt ergo, cur in deliciis habeatur, & adeo delicate nutriatur: ſufficit neceſſarium illi præbere, ut ſolum ſervetur, eique tempus relinquere quo de morte ſua cogitet. *P. Bourdalove, ſermone pro feria quarta Cinerum.*

In mortis cogitatione quid metuendum ſit.

Verum eſt homines præoccupari, ac decipi, cum perterrentur ideis derelictionis, neceſſitatis, ſolitudinis, deſtructionis, quæ mortis ideam concomitantur. At certum eſt tunc minime decipi, cum timent Judicium Dei, quod mortem ſubſequitur: quippe certum eſt, judicium hoc non niſi terribile eſſe poſſe conſcientiæ, quæ ſceleribus ſe onuſtam agnoſcit; quis autem in hoc ſtatu ſe non inveniat, dummodo oculos, vel obiter, in retro actam vitam conjiciat? Verum eſt, formidabile videri hoc momentum, a quo tota pendet æternitas; at in hoc etiam humanum cor ſeſe variis illuſionibus fallit. Putat mortis momentum eſſe æternæ vitæ pretium, & non videt non hoc momentum, ſed totum vitæ ſpatium a Deo peti; momentum hoc per ſe nihil habere præ aliis, quod acceptius ſit Deo; totamque rem in eo ſimpliciter verti, quod poſtremum eſt; ac tandem juſtitiam Dei non irritari hoc uno momento, ſed toto temporis ſpatio, quod in impœnitentia traductum eſt. *Auctor Anonymus.*

De mortis oblivione.

Scio equidem neminem negare, ſibi moriendum, verum neſcio utrum aliquis ſerio ſe dicat moriturum. Nam quamvis duo iſti termini arcto invicem vinculo connectantur, nemo illos conjungere vult, & ſi quis illos conſiderat, alterum ab altero ſejungit; mortem conſiderat ſine ſe; vel ſe ſine morte conſiderat; ac refugit ſe ipſum cum mortis idea ſimul connectere. Nihil in mundo infrequentius, vel cordi noſtro acerbius eſt, quam duarum harum idearum in noſtra imaginatione conjunctio. *Idem.*

Quo loco, quo tempore, quo mortis genere nobis obeundum ſit, ignoramus; at dubitare non poſſumus nos indeſinenter ad vitæ noſtræ finem accedere, & in dies magis fieri morti propiores. Attamen quin noſtræ morti vacemus, nihil intentatum relinquimus, ut ejus imaginem procul arceamus: quin noſmet eidem præparemus, quemadmodum nullum illius ſtatum tempus cognoſcimus, ita conamur, ne vaga hæc mortis cogitatio nobis metum incutiat. Hinc accidit, Sapiens ait, quod *ſicut piſces capiuntur hamo, & ſicut aves laqueo comprehenduntur, ſic capiuntur homines in tempore malo, cum eis extemplo ſupervenerit*: Eccleſ. 9. hoc eſt ſicuti piſces capiuntur, cum in aquis, & aves, cum in aere ludunt; ita homines morte occupari, cum id minus arbitrantur. Inceſſanter hæc cogitemus, Seneca de Brev. vitæ ait, ut ideam mortis familiarem habeamus, ne horribilis nobis videatur, cum repente ſeſe noſtris oculis offeret; ſed præſertim totum vitæ noſtræ tempus impendamus, ut mori diſcamus. *Tota vita diſcendum eſt mori. Abbas de Monmorel Homil. in Evangelium Quinquageſimæ.*

Variis artibus cogitationem a mortis propinquitate conamur avertere.

Fruſtra Mundi Salvator nos vigilare jubet, monens ſe fulguris inſtar venturum, cum minus id cogitabimus, atque veluti furem inexpectato acceſſurum. Fruſtra quotidie videmus amicos, conſanguineos, finitimos in ipſo adoleſcentiæ flore, vel in ipſo ætatis robore raptos; aliquam ſemper nanciſcimur rationem noſmet confirmandi, ac celeriter delendi impreſſionem quam in nobis licet invitis mors hujuſmodi facit. Ille, dicimus, valetudinarius erat; hic ſalutis ſuæ curam nullam gerebat, illi nullam in tempore allatam opem; hunc pharmacis importune propinatis enecatum: quaſi eadem pericula & nobis metuenda non eſſent. *Idem in Dominica decimaquinta poſt Pentecoſten.*

De mortis oblivione.

Mortis oblivio, quam mortales teſtantur, incredibilis eſſet, niſi nos, qui eam cum dolore in aliis cognoſcimus, aliis juſtam præberemus occaſionem eamdem in nobiſmetipſis animadvertendi. Quomodonam fieri poteſt, ut adeo parum meminerimus ejus termini, ad quem currimus; ejus metæ, ad quam indeſinenti motu advolamus; finis ejus ſtadii, quod ingreſſi ſumus, ut illud conficeremus? Quænam eſſet noſtra de illo ſententia, qui iter ſuſcipit, qui a ſuſcepto itinere numquam deſiſtit, qui a via non divertit, & nihilominus haud cogitat, quo vadit? Interim ſocii illius evaneſcunt, quia ante ipſum perveniunt; eos magnis ſubſequitur paſſibus, eorumque legit veſtigia; & neceſſe eſt, ut ad eumdem finem feratur. Attamen licet ſemper moveatur, numquam de ſuo itinere, neque de itineris termino cogitat magis, quam niſi progrederetur ad eum perventurus. *Liber, cui titulus; Animadverſiones in quædam Ethica, & Religionis argumenta.*

Si ad examen revocarentur cauſæ, rationes, circumſtantiæ adeo inſanæ oblivionis, mira profecto formidinis argumenta detegerentur. Hæc autem duobus verbis complecti poſſe mihi videntur. Mortis obliviſcimur, quamvis mortales ſimus, quamvis anni noſtri perniciſſime defluant, quamvis ſuper amicorum, & cognatorum tumulos lacrymas effundamus, quamvis quotidie oculis noſtris ſpectaculum accidat cadaverum, quæ efferuntur; quamvis omnes infirmitates noſtræ, qua virium imbecillitate, qua dolore nos moneant, brevi ad plures eſſe abeundum. Hoc indicio eſt, nos vivere perinde ac ſi vel partes, quibus conſtamus, ſemper eſſent victuræ, vel eſſent in æternum morituræ; quarum rerum utra in cauſa ſit, ne vitæ brevitatem videamus, & mortem cogitemus; nonne æque miſeri ſumus? nonne deflenda noſtra conditio eſt? Quo tendimus? Quiſnam erit itineris exitus? *Idem.*

Quæcumque in hac vita facimus ad bene moriendum tendere debent.

Moritur homo: vixit, ut moreretur; bene vivendum illi fuit, ut bene moreretur. Moriens reliquit opera omnigen æruditionis referta, opimos agros, quos emit, ingentem auri vim, quam collegit. Si labores illius non fuere apparatus ad ſanctam mortem, ſuo moritur periculo, & vitam inſumpſit, quin propriæ ſaluti conſuleret. Fatale æternæ ſortis noſtræ punctum mortis momentum eſt; quidquid ſit, nemo, niſi noſmetipſi, illud beatum efficere poteſt. Pro aliis vitam inſumere, ac nihil facere pro immutabili fato, quod nos in morte manet, & quod a vita noſtra pendet,

det, quid de illius vita, & morte cogitandum eſt, ubi illuc acceſſerit? *Nemo alii naſcitur, moriturus ſibi*; Tertullianus ait. *Idem*.

Æterna ſors noſtra pendet ab eo ſtatu in quo erimus in mortis articulo.

Sors noſtra pendebit ab eo, in quo tunc erimus ſtatu; id quod fuimus, & quod hodie ſumus, nihil de ſtatus noſtri æternitate conſtituet. Bene incipere poſſumus, bene proſequi; ſed poſtea poſſumus a recta virtutis via aberrare, ac nequiſſimo fine vitam abſolvere. Verum eſt igitur, quod ſi ſalvari cupimus, omnes cogitationes, ſollicitudines, curæ, omniumque vitæ noſtræ momentorum conſilia extremum illud mortis momentum reſpicere debent. Scio equidem nullis nos meritis confidere poſſe, ut ab omni periculo credamur immunes, & quantum ſalus noſtra ſperanda eſt, tantum interitum eſſe metuendum. Scio pretioſiſſimum perſeverantiæ donum uni divinæ miſericordiæ acceptum referendum eſſe; ſed nobis licet, immò ſperare jubemur. Res in eo vertitur, ut ita vitam inſtituamus, ut quamvis ſemper incerti, poſſimus tamen bonam nobiſmet mortem polliceri. *Idem*.

Quid conſiderandum in hoc, quod mors omnes nos pares facit.

Semper audimus, omnes per mortem æquari; ſed hujus ſententiæ ſpiritum aſſequi negligimus. Satis eſt animo concipere imaginem cadaverum, quæ præterpropter æque horrida ſunt, propter tabum, atque putredinem, qua ſuffunduntur; carnium, quæ diſſolvuntur in lutum; membrorum, quæ priſtinam elegantiam, ac formam amittunt; cavitatum, quæ recedunt, & vermibus aliiſque inſectis aditum aperiunt; putoris non ferendi, donec tandem pulvis omnino ſimilis cadavera hæc prorſus confundat. Hujuſmodi imago oſtendit quidem poſt mortem diſtinctionem illam, quæ inter vivos fuit, non amplius futuram. At neceſſarium ad noſtram doctrinam foret, eam intelligere rationem, propter quam poſt obitum noſtrum tanta æqualitas tantæ inæqualitati ſuccedit. Rationem hanc illo axiomate poſſumus explicare, naturalia videlicet omnia in ſuum reverti principium. Pulvis fuimus, & redimus in pulverem. *Idem*.

Mors ex animo delet nomen ipſum, & memoriam, virorum præſtantiſſimorum.

Satis experientia nos docet, eodem cippo, quo demortui cadaver contegitur, nomen quoque, & memoriam ejuſdem obrui. Quid modo ſupereſt de Victoribus, terrarumque domitoribus, quorum nomine olim univerſus orbis perſonuit? Quamvis præliis, ac victoriis nomen ſuum æternitati commendare ſtuduerint, quamvis ſuperbarum urbium, oppidorumque everſione gloriam ſibi comparare contenderint, quamvis etiam magnifica ſibi extrui juſſerint mauſolæa, quid reliquum ſupereſt? *Periit memoria eorum cum ſonitu*. Memoria eorum cum funebri pompa evanuit; tempus ſolo æquavit ſuperba monumenta, quæ extulerat vanitas; eos ſub immanium ædificiorum pondere, ac ruinis obruit, nobiſque & cinerum, & loci, ubi locati fuerant, abſtulit cognitionem. *De la Volpilliere, ſermone de S. Benedicto*.

Sapiens teſtatur, nomen peccatoris eamdem, ac illius corpus ſortem habiturum; ſi hoc in cineres, illud quoque in fumum abiturum; ſi putredo corpus illius noſtris abſtulit oculis, nomen quoque ex memoria noſtra per horrorem eſſe expungendum. Hac de cauſa S. Chryſoſtomus, poſtquam dixiſſet Alexandri corpus non inveniri amplius, addit, neque poſſe diem mortis ejus aſſignari. Adeo exiguam in Regis illius obitu jacturam paſſus eſt mundus, ut ſcire non laboraverit, quonam die e vivis exceſſerit. Victoriæ illius adeo exigui momenti habitæ ſunt, ut propter illas nullum univerſalis lætitiæ ſignum editum fuerit; ita ut jure dixerit Sapiens futurum, ut impiorum gloria, & nomen cum eorum corporibus computreſcat: *Nomen impiorum putreſcit*. Pſalm. 10. *Idem*.

Mors eſt pœna peccati &c.

Reſpicere non poteſtis hominem eo in ſtatu, in quem mors ipſum redegit, quin ſtatim peccatum illius vobis occurrat. Sepulcrum ſupponit ſcelus: *Stipendia peccati mors*. Ad Rom. 6. Ideoque manſio illa nonniſi turpis habenda eſt. Ad hæc ſepulcrum conſiderandum eſt, veluti patibulum, ubi in nos lata ſententia adimpletur; divina juſtitia ibi perſequitur homines etiam poſt mortem eorum; neque ſatis eſt illi vitam eripuiſſe, niſi & in cineres redigat; *& in pulverem mortis deduxiſti me*. Pſalm. 21. Extremum denique ſepulcri dedecus eſt, quod omnes ad paupertatem redigit. Reges nihilo ditiores ibi ſunt, quam viliſſima quævis mancipia, ac illuc ita nudi inferemur, ut nati ſumus. *Idem*.

Mors docet omnia in hac vita tranſire, & nos quoque tranſituros.

Ingentia emite prædia, domos ſuperbis ædificate, palatia excitate; at hæ domus, hæc palatia fortunæ potius, quam veſtra ſunt; vel ut eo modo loquar, qui magis Chriſtianum hominem decet, vos horum bonorum æconomi eſtis dumtaxat. Ratio, S. Auguſtinus ait, quam conſueviſtis afferre, ut domum hanc veſtram eſſe probetis, palam oſtendit, obiter tantum veſtram eſſe. Parentes mei, dicitis, & majores eam mihi reliquerunt; ad me teſtamenti jure pertinet. Novi quid dicere velitis, S. Doctor reſpondet. Majores veſtri per domum hanc tranſierunt, & vos quoque tranſibitis; ergo tamquam hoſpites iſtic verſamini. *Unuſquiſque in domo ſua eſt hoſpes*. Sepulcrum vero, utique ſepulcrum veſtrum eſt; domus iſta ad vos pertinet, ibi uſque ad ſæculorum conſummationem permanebitis, neque ultro vos inde umquam exibitis. *P. Texier, ſermone primo Quadrageſimæ*.

Mors nos docet quid ſimus, & noſtram frangit ſuperbiam.

Ad hoc infringendum idolum, atque hoc amoris proprii phantaſma evertendum, nihil magis efficax eſt, quam mortis cogitatio. Ignoras, quid ſis, ſepulcrorum conſule cineres, ſigna, & reliquias eorum, qui te præceſſerunt. Erant illi idololatræ ſuorummet ipſorum, ſicut tu es; in ſe ipſis confidebant, quæ res illos perdidit. Vide quid erant ex iis, quæ tibi reliquerunt, veſtigiis; vide quid ſunt, ac intelliges, quid hodie ſis, & quid non multo poſt ſis futurus. At opus non eſt aperire tumulos ſimilium tibi. Tecum ſerio te ipſum recipe, ibique reperies oraculum, ſi rite illud conſuleris, & cum S. Paulo 2. Cor. 1. dices: *In nobiſmetipſis reſponſum mortis habuimus, ut non ſimus fidentes in nobis*. Eheu! me ipſum audivi, ac interiori admoneor voce, me nihil aliud eſſe, quam parum cineris, pulveriſque; quapropter in me nequaquam confidere debeo. *Idem*.

Bonorum in morte conſolatio.

Omnia aliquid conferre debent ad bonorum extrema illa vitæ hora ſolatium. Qua conſolatione, quo gaudio affici non debet tunc temporis ille, qui in pœnitentiæ exercitatione verſatus eſt? Futuri proſpectus nonne omnes ſtatus præſentis lenire debent dolores? Quidquid in Dei ſervitute grave, difficile, moleſtumque erat, abiit: jejunia, ſeceſſus, mortificationis exercitia, labores, auſteritates, humiliationes, pœnitentiæ, omnia jam deſiere; bonum, & malum æque tranſeunt. Quænam erit in hora mortis lætitia, quænam illud feciſſe malum, quod fieri poterat; quod gaudium, illud feciſſe bonum, quod erat faciendum, tunc vero præſertim cum animus advertitur ad eum dolorem, quo conficitur, qui illud minime operatus eſt? Quantumvis diuturna extiterit vita, inter natalem, extremumque mortis diem momentum dumtaxat interceſſiſſe videtur; fierine poteſt, ut tunc temporis non gaudeamus, eo quod vitæ ſanctitate eos præverterimus dolores, eamque deſperationem, quibus peccatores in morte torquentur? Quid nunc mihi prodeſſet, moriens ait, ingentem auri vim collegiſſe, potentes amicos mihi conciliaſſe, primoſque Reipublicæ honores poſſediſſe? Quid omnibus voluptatibus me ingurgitaſſe, inter aulicos enituiſſe, mundi placitis adhæſiſſe? Nunc damno, totoque vitæ meæ ſpatio mundi conſuetudines damnabo: quid mihi iſthæc omnia prodeſſent, niſi ſalutem meam operatus fuiſſem? *P. Croiſet tomo primo Receſſuum*.

In morte excitantur ſenſus Religionis, fidei, & orationis, qui ſopiti videbantur.

Quoad vivimus, animi ægritudinibus excæcamur, trahimur exemplis, faſcinamur objectis, negotiorum impedimentis occupamur; ac videmur etiam præcipuarum fidei veritatum ignorantia oblectari; & fides ipſa fere extincta eſt inordinatæ vitæ flagitiis; at in morte ratio, religio, fides ipſa omnes ſuas vires acquirunt. Creditur, ſed fide, quæ opprimit, & quæ ſimilis eſt fidei dæmonum; tremitum quidem ciet, non pœnitentiam . . . Non deſunt aliquando qui ſanctiſſimas pietatis exercitationes vertunt in ludibrium, qui infirmitatem, ac ſpiritus imbecillitatem vocant ſummam illam curam, qua pii homines minima etiam ſtatus ſui diligentiſſime obeunt officia. Si verum eſt, quemadmodum illi teſtabantur, ſe jure hoc judicaſſe, atque ita egiſſe, tunc etiam idem ferant judicium. Cur non uſque ad mortem ſuum deriſorum, fortiumque ſpirituumque ſuſtinent characterem? Si verum eſt, jure illos hæc pietatis exercitia, ipſamque devotionem tamquam inſanos ſcrupulos traduxiſſe, tunc in hoc illi ſibi complaceant, & in extrema vitæ ſuæ hora hoc gloriæ ſibi vertant. Si verum eſt, ipſos, ſapienter commodam pietatis ideam, ac falſam ſibi concinnaſſe conſcientiam, qua tecti in fallaci ſecuritate vixerunt, hoc ipſum in morte ſyſtema ſequantur. Sed, o Deus! nonne hæc vera eſt timorum ſuorum cauſa? Nonne hoc illos ad deſperationem adducit? *Idem*.

In morte terrenarum rerum agnoſcitur vanitas.

In morte obices omnes evaneſcunt, nobiſque integrum relinquunt de rebus ſine ulla præoccupatione ferre judicium. Videbatur olim bonorum mundi hujus vanitas, at eadem non afficiebamur; immo neque intelligebatur quantum eſſet in terrenis voluptatibus inane. In morte hoc non videtur ſolum, verum etiam ſentitur: ſed concipi nequit, quin ſimul ſentiatur eorum nauſea, & duplex indigentia. Videmus ſolum nos deceptos fuiſſe; ſed quam acerbus dolor non poſſe eam reparare jacturam, quam per hunc errorem paſſi ſumus? . . . . Mirum eſt, omnes unanimi ore fateri, in mortis articulo hanc eſſe mortalium deſperationem, quod immortificatam duxerint vitam, quod mollem, ac deliciis affluentem vivendi rationem dilexerint, quod bonis operibus non vacaverint, quod demum vixerint, uti vivitur; & nihilominus poſt optimas haſce conſiderationes, de quibus omnibus perſuaſum eſt, neminem adlaborare, ut melius ad virtutem vitam ſuam, moreſque componat. *Idem*.

Mortis cogitatio nos debetet convertere.

Mirum profecto eſt, adeo parum de morte cogitari; ſed longe magis mirum eſt, de morte cogitantem non converti. Quot ita vivunt, quaſi certo ſe nequaquam morituros, vel non morituros ſemel, exiſtimarent; quaſi nihil amiſſuri eſſent male morientes, vel quaſi iterum eſſent reparaturi, quod ſemel amiſiſſent? Sumuſne ipſi ex hoc numero? Quis autem ſenſus erit nobis morti proximis, cum menti occurrent illa, quæ modo conſideramus, niſi aliquem inde fructum percipimus? Quæ felicitas; quæ gratia! ſi morienti ſuorum flagitiorum adſpectu perterrito, & jamjam animam efflaturo adhuc vitæ menſis permitteretur, quem in uſum ille ſuam impenderet valetudinem? Vos autem ſimilem hodie felicitatem percipitis. *Idem*.

Mortis cogitatio non prohibet, quominus negotiis noſtris, reique domeſticæ invigilemus.

Bona fide quæſo, ſi æque certi eſſemus nos numquam murituros, uti certi ſumus non ſemper victuros eſſe, aliamne vitæ rationem ſequeremur? Numquid ampliora vota conciperemus? Numquid magis triſtes hoc domicilium diligeremus? Numquid minus, & infrequentius alteram vitam cogitaremus? At enim omnia igitur relinquenda ſunt; viventes adhuc noſmet in Clauſtrorum ſepulcrum inferre debemus, negotiorum, reique domeſticæ abdicare curam, nihil umquam niſi mortem cogitaturi? Haud ita; inſignis eſſet error putare mortis cogitatione, quæ ubique bonum ordinem conſtituit, hunc ex vita civili auferri. Mortis cogitatio non cogit, ut eum, in quo nos Deus poſuit, ſtatum relinquamus, ſed ut in eo tamquam morituri vivamus. Vivere licet inter rei familiaris negotia, diligenter omnibus proprii ſtatus officiis defungi, inter honores, opumque affluentiam, ſi ita fert conditio, verſari; dummodo te cogites moriturum. *Idem Pater Croiſet in Receſſibus pro una ſingulorum menſium die*.

Quamvis certa ſit mors, ſemper tamen tamquam remota conſideratur.

Conſtat certam eſſe mortem, ſed poſt diuturnum vitæ ſpatium adventuram quilibet putat; illam longius abeſſe arbitratur, ac ſe non niſi extrema confectum ſenecta deceſſurum exiſtimat; quæ ubi acceſſerit ætas, non ideo tamen ſpes aufertur, quominus unus ſaltem, & hoc elapſo alter ſimilis vitæ annus ſuperſit. Ne nobis fucum faciamus; res noſtras in ordinem redigamus, quantumvis bona valetudine polleamus, unicus tamen a vita ad mortem gradus eſt. Satis eſt mortali corpore conſtare, ut jure quolibet momento timere debeamus. Quiſnam ille vir ſapiens eſt, qui unicum vitæ annum nobis cum ſuæ vitæ periculo audeat ſpondere? Attamen in hujus anni finem meam converſionem rejicio. *Idem*.

Præcipitem aliorum mortem intuiti noſmet confirmamus.

Præceps tot hominum mors, qui eamdem ne cogitantes quidem occupati fuere, nos ſtatim quidem percellit; at brevi noſmet confirmamus præcipitis hujus mortis cauſam inquirentes, & hanc in nobis nequaquam eſſe putantes. Homo hic, dicitur, caducæ valetudinis erat; nimia mentis applicatio vitæ finem acceleravit; in vini uſu nimius fuit; ſimilis illi impendebat caſus: hoc eſt, in me non reperio, quod mortem illius peperiſſe puto; nihil igitur mihi metuendum eſt; cum e contra dicendum eſſet; homo iſte ſimilis mihi, meamque vitæ rationem imitari videbatur, ille hodie mortuus eſt, quiſnam mihi promittere poterit, me cras non moriturum? Sed ubi hæc cogito, neſcio, Domine, utrum magis ſperare debeam, an metuere, & utrum eos miſeratus, qui imprudenter adeo in hac vita confidunt, ego ipſe futurus aliquando ſim alienæ miſerationis objectum. Ne id permiſeris Domine: video, & ſentio hujus rei indignitatem; & fortaſſe minus etiam quam alii prævideo. Quis dolor eſſet meus, quæ deſperatio, & quid mihi expectandum eſt, ſi hæc animo reputans, & illud, in quo ſum, agnoſcens periculum, ea, quam mihi largiris, gratia non utor? Quamvis diu mihi adhuc vivendum eſſet, nolo amplius differre, quominus memet morti præparem, qua ſingulis momentis poſſum occupari. *Idem*.

Cogitatio incertam eſſe mortem, nos a vitæ hujus voluptatibus deberet avellere.

Nihil aptius eſt ad nos ab hujus vitæ voluptatibus, & cura fortunæ ejuſdem amovendos, quam mortis incertitudo ſerio meditata. Certe ſcio, me moriturum; quælibet hora diei vitæ meæ eſſe poteſt extrema; robuſtiſſima quælibet valetudo ſuſtinere non poteſt lapſum, apoplexiam, alioſve lethales caſus ſexcentos . . . . Egone auſim jurejurando affirmare, adhuc menſem vitæ ſupereſſe mihi? Homo capite damnatus irrevocabili ſententia, niſi de ſana mente dejectus ille ſit, poteſtne exultare gaudio, ac de vita cogitare, donec ſingulis momentis carnificis ſecurim cervicibus ſuis videt imminere? Numquid ipſi ſapientiores ſumus? Jam ſignificata nobis fuit irrevocabilis mortis noſtræ ſententia: ſingulis momentis ad ſupplicium rapi poſſumus; undenam ergo hic voluptatis furor proficiſcitur: hæc lucri ardens cupiditas, quæ contra Dei jura efficit, ut omnia conſcientiæ noſtræ negligamus officia? Undenam hæc negotiorum multitudo, hæc cœli oblivio, hic mundi amor, hæc ſecuritas, hæc inſania? *Idem*.

Omnes induſtriæ, ætatiſque nervos contendimus, ut opes congeramus, honores aſſequamur, in mundo fulgeamus; ſed cuinam rei hæc omnia conſilia innituntur? Heu! fortuna, ambitio, cæpta, conſilia, conatus omnes huic innituntur vitæ. At numquid ignoramus vitam hanc nobis commodatam fuiſſe, ut illam redderemus qualibet hora; hoc eſt, nos in periculo verſari, at vitam qualibet hora amittamus? Eo autem momento, quo nobis aufertur, quonam abeunt ſpes eximiæ, cæpta hæc, atque conſilia? *Idem*.

Mors quodlibet evertit.

Ducentis ante hoc tempus annis urbes civibus ita erant frequentes, ut hodie ſunt. Quonam univerſus ille populus abiit? Ne unus quidem ſæculi decimiquinti ſupereſt homo; immo ex tot hominibus nihil niſi puſillum pulveris terræ commixtum ſupereſt. In his oſſibus carie exeſis, in hoc pulvere aliquod ne magnitudinis, dignitatis, vel nobilitatis veſtigium deprehenditis! O mortalium ſuperbia! hæc nondum ſatis ſunt, ut confundaris? Hæc utique ſatis ſunt, ut errorem noſtrum intelligamus. Reges, qui in hoc terrarum orbe regnatis, quorum felicitati tot populi aliquid conferre contendunt, moriemini: thronus veſter non longe abeſt a tumulo; genus veſtrum vos a reliquo populo ſecrevit; ſed mors vos aliquando ſubditorum veſtrorum minimo æquabit. Non intermiſſa felicitatum ſeries, voluptatum deliciæ, honores infiniti, magnificentiæ, victoriæ, omnia vobiſcum aliquando tumulabuntur! Nobiles moriemini; in ſepulcris quærite quid hodie ſit reliquum de majoribus veſtris; intra centum annos nihil de vobis ſupererit. Tumuli epigraphes ideo titulos veſtros ſervabit, ut poſteri intelligant, vos non amplius eſſe, quod eratis in mundo, nihilque veſtri reliquum eſſe niſi cineres multo minus pretioſos cippo, quo conteguntur. O quam optima ſchola mors eſt! quomodo ſepulcri adſpectus mentibus, cordibuſque plurimorum ægrotantium mederetur, niſi quilibet inde pro virili oculos, animumque conaretur avertere? Licet mortalium omnium eruditiſſimus, ditiſſimus, feliciſſimus eſſes, morieris. Quadraginta, vel quinquaginta anni totus erunt fortunæ tuæ curſus; aliquot dierum febris, caſus aliquis, lapis exiguus momento ingentem hunc coloſſum evertet. Vita mollis, & deliciis affluens; opulentia, nobilitas, omnia hæc in funeribus paulo ſplendidioribus, hæc vero funera in tumulo terminantur. *Idem*.

Scimus aliquando nobis eſſe moriendum neque nimum ad bene vivendum advertimus.

Ex omnibus inſanis erroribus, quibus humana mens eſt obnoxia, nullus eſt, qui cum hoc magnitudine certet. Quid? Scio, me moriturum, poſt mortem beatam, vel infelicem manere æternitatem, & totis viribus non contendo, ut poſt hujus vitæ exitum beatam mihi Sortem acquiram? Certe ſcio me moriturum; & probabiliter non diuturnum vitæ ſpatium mihi ſupereſſe; & omnes curæ meæ in id intentæ ſunt, ut opes congregem hæredibus meis, pro illis videlicet, qui mihi ſuperſtites futuri ſunt, & qui ſudorum meorum, & fortaſſe iniquitatum etiam, earumque rerum, quæ meam pepererint damnationem, fructu abutentur, ut vitam magis ſuavem, & voluptuoſam traducant. Salutis meæ oblviſcor, morti memet præparare negligo, ut ſucceſſoribus meis, unde commode, & luxurioſe vivant, relinquam. Scio me moriturum; nequeo ſine fremitu conſiderare ea, quæ extremam hanc horam ſubſecutura ſunt; ſcio, quam difficile ſit bene mori, & aliud quodvis, quam bene moriendi rationem cogito. Video facti hujus inſaniam, meamque animo reputans cæcitatem fremo . . . . Verum ſtat animo ſententia, reliquo vitæ ſpatio uti, ut ex hoc tempore me ad bene moriendum diſponam. *Idem*.

De mortis oblivione.

Mortem non cogitamus, quia triſtis hæc nos terret cogitatio; verum ſi ſola nos adeo terret cogitatio; quid de ipſa morte dicendum? Si hanc non cogitare, mortem minus certam, vel minus terribilem efficeret, oblivio ſane non adeo irrationabilis eſſet; at ignorare ne poſſumus momentum, a quo æterna ſors noſtra pendet, conſtitutum eſſe, & mortem numquam magis formidabilem eſſe, quam cum de ea numquam cogitatum fuit? Quantumlibet

libet mundi ſectatores hanc cogitationem effugiant, eorum ſolatium, & otium non prohibet quominus ſingulis diebus ad terminum hunc fatalem accedant. Hæc omnium hominum via eſt, inquit Propheta; cuilibet per hanc pertranſeundum eſt: omnes illi, quos non videmus amplius in mundo, hac tranſierunt, & quotidie plures tranſeunt. *Idem*.

Mortis cogitatio vitiorum omnium medicina.

Jure dici ſolet mortis cogitationem omnium inanium mundi gaudiorum eſſe remedium. Facile voluptates has, & ſolatia faſtidimus; luxus, nitor, opes non amplius oculos perſtringunt, ubi cogitamus intra aliquot dies nobis eſſe moriendum. Pallidus, macie conſumptus, ſine viribus eo in lectulo, unde in ſepulcrum jamjam efferendus ſum, quo oculo pretioſam intuear ſupellectilem brevi non amplius videndam? Licet magis, minuſve in honore habeamur, magis, minuſve opibus affluamus, tunc nugatoriis hiſce vitæ ſolatiis parum afficimur; at ſi nihil fecimus, ut ſaluti noſtræ conſuleremus, ſi conſcientia nobis plurima occulta exprobrat delicta, injuſtitias, infidelitates, numquid contenti emori poſſumus? Numquid lætamur eo quod numquam de morte cogitare voluimus? Numquid illud cogitandi de eadem tempus eſt? Homines mundi, æquo in omnem voluptatem effuſiores, imperfecti fideles numquid jure hactenus mortem tamquam ſomnium aliquod reputaſtis? At ſi id ſerio cogitatis, conſcientiæ veſtræ exprobrationes ſuſtinere poteſtis? Cogitate ſimul ab iis vitiis recedere, quæ mortis cogitationem adeo amaram vobis efficiunt. *Idem*.

Quomodo ſit de morte cogitandum.

Mortem cogitare, non eſt, illi cogitationes impendere, ut iis, quæ ad vitam hanc pertinent, negotiis conſulemus, vel ad ſummum, ut quaſdam illius circumſtantias prævideamus, puta hæredum inſtitutionem, domeſticæ rei curam, ſepulturæ locum, funebrem pompam, & ſimilia, quæ ſaluti ſunt inutilia. Mortem cogitare, eſt fortiter ſpiritui noſtro bonæ, & malæ mortis imaginem imprimere, conſiderare duplici hujus ſtatus diſcrimen, & utrumque ad vitæ regimen referre. Mortem cogitare, eſt Dei judicia animo reputare, ac rationes illas terribiles, quæ reddendæ erunt eidem, ad calculos revocare, quæ res nihilominus numquam conſideratur. Satis profecto eas cogitamus, quæ hominibus reddendæ ſunt, & plurimos videmus dies, noctesque rationariis inſudantes, quod debent, & quod ſibi debetur, ſupputaturos, at quotuſquiſque ſerio cogitat, quid debeat Deo? Tertullianus de morte loquens hanc *ultimam omnium quæſtionum* appellat. In vita enim plerumque plurimæ proponuntur quæſtiones diſceptandæ, plurima negotia obeunda; de fortunis locupletandis, de ſtabilienda domo, de affinitatibus jungendis, deque honoribus generi ſuo comparandis, de authoritate, & fama acquirenda laboratur; ut verbo me expediam, in vita de vita ipſa admodum ſolliciti homines ſunt; ſed mors omnium quæſtionum eſt noviſſima. Huic tunc impenditur cogitatio, cum nullum eſt amplius tempus cogitandi, cum jamjam anima efflanda eſt, & cum ſæpe inutilis eſt cogitatio. Exempla ipſa, quæ majorem vim habent, quam verba, hac in occaſione effectu, & viribus carent, &c. *Idem*.

De præſentibus rebus judicandum, quomodo in morte judicabimus.

Cum aliquod ſeſe oculis noſtris exhibet objectum, vel noſtram ferit imaginationem, & mentem, ut de illo ſanum feramus judicium, non affectus noſtri, noſtraque utilitas ſpectanda eſt, ſed ſerio conſiderandum quid judicaremus in morte, quid nos feciſſe vellemus, cum ad ſupremi judicis tribunal erit prodeundum, & demum quid nos ipſi in omni æternitate probabimus. Quot conſcientiæ caſus luminis hujus beneficio optime ſolverentur! Quot inanes evaneſcerent ſubtilitates! quot illuſiones ceſſarent! Beatos illos, qui ita ſeſe mortis diſcipulos faciunt, qui lumine ejuſdem utuntur cordis ſui tenebras diſſipaturi, & qui in tempore cogitant, quod cogitabunt in æternitate. *Eſſais de Morale*.

Mors una auferre nobis poteſt errorem circa hujus mundi vanitates.

Bona fide verum dicamus, ſi moriendum non eſſet, vel ſi nulla eſſet lex, qua omnes homines morti addicerentur, fruſtra contra vanitates inveheremur, nemo fidem nobis haberet: fruſtra prædicaremus omnia hujus mundi bona eſſe vanitate referta, & quamvis id per ſingula diſcurrentes meridiana luce clarius oſtenderemus; tamen exiſtimarent homines, has inanes eſſe ſubtilitates, & ipſa vanitate vaniores, idque dici potius ad ingenii oſtentationem putarent, quam ut illos ab eorum amore contenderemus avellere. Verum cum liquido pateat omnia ad mortem tendere, ne unum aliquid eſſe, quod non tendat ad interitum, & ea, quæ pulcherrima ſunt, præ aliis pereundo eſſe magis obnoxia, & citius re ipſa perire, hoc aperit oculos, hoc vanitatem oſtendit. Pulcherrimum ſane diſcrimen hoc S. Chryſoſtomus animadvertit, reliquas omnes Chriſtianas cogitationes nihil eſſe niſi ad ſummum vanitatis argumenta; mortem vero ipſam eſſe vanitatis hujus experientiam. *P. Bourdalove in ſermone quodam de Morte*.

Mortis cogitatio, plurimos impulit ad vitæ auſteritatem amplectendam.

Nonne hæc mortis cogitatio ſanctos omnes ad eam, qua nunc fruuntur, felicitatem adduxit? Nonne hæc illos impulit, ut auſteriſſimam vitæ rationem amplecterentur? Nonne hæc illos in nemora, ac ſaltus, horrenteſque ſolitudines recedere coegit? Nonne hæc illos ab hominum conſuetudine ſecrevit, effecitque ut magis terribiles pœnitentiæ exercitationes alacriter amplecterentur? Verum eſt in illis plurimum laboris, ac ſæpe contradictiones expertos fuiſſe, permittente Deo, ut ſe errare, & a recta via receſſiſſe arbitrarentur; ſed ſtatim in mortis tabula ob oculos eorum explicabantur prædeſtinationis arcana, & ſimulac in mortis imaginem oculos conjiciebant, omnia evaneſcebant phantaſmata, eorumque mentes confirmabantur. *Idem*.

Noſtra vel infidelitas, vel ſtupiditas prohibet ne de morte cogitemus.

Quamvis integra vivere deberemus ſæcula, ut antiqui Patriarchæ, quamvis mortis noſtræ tempus non adeo proximum eſſet, huc tandem aliquando perveniendum eſſet. Heu! Quid tunc nobis prodeſſet longa illa ſeries annorum, niſi ad obligationes noſtras augendas, ac rationem, quam reddere tenemur, eo difficiliorem, quo longiorem, impeditioremque efficiendam? Sed eſſe in mortis pervigilio, uti fortaſſe ſumus, mortem propius attingere digito, ut ita dicam, & non affici, & ſalutis noſtræ negotio non vacare de bona morte cogitantes, hoc non niſi vel ex infidelitate, vel ſtupiditate noſtra poteſt proficiſci. *Idem*.

Mortis cogitatio efficit, ut bene vivamus.

Nihil facilius funeſtam hanc infringere poteſt illecebram, quæ in mundo, ejuſque amore nos detinet, quamvis vanitatem illius apertiſſime intelligamus: nihil facilius excitare nos poteſt ex lethali ſopore, quo capti dies traducimus, eiſque finem imponere poſſumus, quam mortis cogitatio, & memoria. Si quid librare poteſt hoc pondus, quo in ſcelus trahimur, noſque contra omnia objecta munire, quæ affectus noſtros, vel cient, vel fovent, hoc proculdubio eſt meditatio funeſtorum myſteriorum, quod ſub ſepulcrali lapide adimplenda ſunt. Itaque ſicuti nulla poteſtas eſt, nulla vis, auctoritas, ſapientia nulla, quæ contra mortem tueri nos valeat, ita nullum vitium eſt, nulla affectio, habitus nullus quamtumvis inveteratus ſit, quem mortis cogitatio radicitus non evellat, ac deſtruat. *Pater de la Colombiere ſermone 49. de morte*.

Quemadmodum in humana juſtitia antequam morte plectatur aliquis perduellionis, aut læſæ majeſtatis reus, primum illius bona publicantur, & addicuntur fiſco, ipſeque exauctoratus de omni honoris gradu dejicitur, ita mors, quæ eſt pœna peccati, primum quidem hominem exuit omnibus divitiis, titulis, honoribus, quos poſſidebat in mundo, cumque abjectiſſimæ conditionis hominibus æquat. Triſte, funeſtumque ſpectaculum eſt videre hominem domo ſua ejectum, illuc non ultra reverſurum, alio interim occupante opes, ſupellectilem, honores, & quidquid in terris poſſidebat. Mirum eſt, quod ex tot opibus ne obolum quidem, ex tot pretioſis indumentis, & magnifica ſupellectile ne ſcutum quidem ſecum auferat; quod olim tot ſervorum caterva ſtipatus modo ad horridam redactus ſit ſolitudinem, & ne unus quidem illi remaneat famulus, qui prope ſepulcrum ejus aſſideat. *Idem*.

Mors ad nihilum redigit quidquid in mundo magni æſtimatur.

Hic, o fideles, præſertim humanæ magnitudinis, ac potentiæ agnoſcitur nihilum; ſtatim enim ac nobilis vir extremum efflavit ſpiritum, illico iis rebus omnibus expoliatur, quas larga eidem fortuna contulerat, nullam amplius exiſtimationem, & auctoritatem retinens; non amicos ſibi conciliare, non ſui metum injicere valens, non ſuis clientibus patrocinari, neque ſuos inimicos conterere. Neque hic ſubſiſtit mors; illum etiam omnibus naturæ dotibus exuit, ita ut ſi quid habet ingenii, ſcientiæ, meritorum, quibus inter homines aliquam ſibi conciliare valeat nominis celebritatem, omnia iſthæc morte auferuntur. Memoria, eloquentia, mens conſiliorum fœcunda, ſpinoſiſſimis expediendis negotiis idonea, ac totius reipublicæ regimini par, hæc omnia momento cum vita pereunt. Hoc momento amittit, quidquid naturalibus ejuſdem qualitatibus ſtudium, lectio, converſatio, experientia addiderant. Ecce fructus laborum pluribus annis exantlatorum redactus ad nihilum; ſpiritualia etiam talenta, veluti zelus, cordium permovendorum donum, miſericordia erga pauperes, hæc omnia auferuntur, ac per mortem inutilia efficiuntur. *Idem*.

De mutatione quæ in homine fit mortis tempore.

Sciſne quid ſit mors? hoc apertiſſimum eſt, certiſſimumque nihili humani argumentum; reditus eſt hominis in triſte illud nihilum, unde fuerat egreſſus; integra illius eſt deſtructio, ideoque illud eſt, quod præ cæteris unum maxime debet perhorreſcere. Deſtructio hæc incipit quidem in lectulo ipſius, & perficitur in tumulo; quis enim ignorat mutationem, quæ eo accidit momento, quo mortalium omnium formoſiſſimus occidit? Caput demiſſum, pectorique inhærens, capilli adhuc ſudore mortis madentes male compoſiti, tempora in arctum coacta, aures pendentes, cava lumina, & horroribus aperta, genæ labentes, atque oſſibus quodammodo inhærentes, nares exacutæ, labia introrſum recedentia, lingua arida, facies pallore ſuffuſa, corpus totum marmoris inſtar frigidum, & immobile. Spectaculum hoc adeo lugubre eſt, ut eum, qui præ cæteris hilaritate præſtat, auſim provocare ad illud intuendum, quin aliquem triſtitiæ ſenſum concipiat. Quicumque ad hoc accedunt cubile, recedunt pallentes, muti, cogitabundi, ubique ſecum animo deferentes triſtem cadaveris hujus imaginem, nullum admittentes gaudium, atque ſolatium, niſi prius alia objecta illam omnino deleverint. *Idem*.

Qui mundum ſequuntur, de morte non cogitant.

Qui mundum ſequuntur, cogitationibus mortis ſeſe accommodare non poſſunt; præſentibus enim dumtaxat occupati nihil in morte vident, niſi privationem bonorum, quæ diligunt, & ſupplicium, quod propter illorum amorem ipſius præparat Deus. Cum in futurum tempus nihil, quod ipſis placeat, prævideant, vitæ jactura malorum omnium maximum ipſis videtur; illius memoriam perhorreſcunt, ejuſque ſibi aſcondunt, quoad poſſunt, imaginem, quia hæc amaritudinem, doloremque illis affert, ita ut jure ipſis applicari queant hæc Spiritus ſancti Eccli. 41. verba: *O mors quam amara eſt memoria tua homini pacem habenti in ſubſtantiis ſuis!* Quin eadem mortis cogitatio prohibeat, ne vir bonus cum creaturis iterum gratiam reſarciat; divortium, quod ille cum his fecit, reddit irreconciliabile, quia cœleſtia quidem admovens, removens autem terrena, eorum quidem amorem, atque æſtimationem, horum vero contemptum inſpirat efficiens, ut veluti digito attingatur, & eorum, quæ immortalia ſunt, pretium, & vanitas horum, quæ dilabuntur. Verbo, eorum aufert errorem, eumque in ſtatum illos redigit, ubi vera a fallacibus dignoſcere valeant bona, neque unius momenti fulgorem pro conſtanti, ac immutabili claritate recipiant. *Abbas Trappenſis in explicatione Regulæ S. Benedicti*.

Stupor eorum qui morte occupantur.

Heu! quis hominis ſtupor eſt, cum poſt traductam inter voluptates vitam, nuntiatur illi, moriendum eſſe? Quid hoc eſt, moriendum eſſe? Hoc nempe; amittenda eſſe, quæ diligebantur; rationem Deo eſſe reddendam eorum omnium, quæ dicta, facta, cogitataque fuerint; aliam ingrediendam eſſe viam, cui minime paratus eſt. Quot Sapientes inopinatum hoc mortis nuntium perculit! Quot ſpiritus fortes ad hujus periculi adſpectum totis artubus contremuerunt! Quot principes mœrore repleti ad triſtis, & inevitabilis hujus neceſſitatis adventum! quin de illis loquamur, quibus mors non permittit hos ſtupores, terroreſque aliquando ſalubres, illos repente de medio voluptatum divellens, atque ad tribunal Dei ſiſtens, cum id minime cogitabant. *P. Caſtillon in funebri oratione Domini de Rochefoucault*.

Mortis cogitatio oſtendit hujuſmodi vanitatem.

Cogitatio hæc nobis oſtendit, quam vanæ, inaneſque ſint ſenſuum voluptates. Heus tu juvenis procax, qui turpia alis commercia, & veluti numen colis hanc formam, quam deperis; applica parum cineris oculo tuo, *& donec illam vides viventem, cogita morientem*. Nunc illa ſpecioſa, ac ſuavis tibi videtur; verum conſidera tabum illud, quod aliquando ex ejus corpore defluet: cogita putorem, quem perhorreſcent quicumque illam intuebuntur; & certus ſum, te de hac illud ipſum laturum eſſe judicium, quod olim ii, qui illecti ſpecie Jezabel eam admirabantur, cum ejus corpus a canibus dilaniatum viderunt: *Hæccine illa Jezabel?* Hæccine mulier illa, quæ formæ, & pulchritudinis miraculum videbatur? Quid cranium hoc carie exeſum? illud caput eſt, quod omnes in admirationem rapiebat? *Hæccine eſt illa Jezabel? Fromentieres ſermone in feria quarta Cinerum*.

Mortis cogitatione docemur quid ſumus, & quid erimus.

Mortis cogitatio ſuperbiæ noſtræ motus infringit eouſque, ut Regius nos admoneat Propheta, nos ideo ſuperbia intumeſcere, quia de morte non cogitamus: *Non eſt reſpectus morti eorum, ideo tenuit eos ſuperbia*. Quid enim ſumus niſi cinis, & pulvis, elementorum ludibrium, vermium, inſectorumque præda; quid intra nos gerimus niſi putredinis, & corruptionis principia? Heu! cum triſte illud oraculum noſtris auribus accidit; *Pulvis es, & in pulverem reverteris*, aliquidne ultra requiritur, ut humiliemur, & confundamur? *Idem*.

Poſt mortem ullum ne reſtat adhuc reges inter, ſubditoſque diſcrimen, S. Auguſtinus ait; & ſi utrorumque cineres videretis, tam perſpicaci oculorum acie polleretis, ut dicere poſſetis: hi principes, illi ſunt ſubditi? Ullane ambitio eſt, quæ in hunc illiſa ſcopulum frangi non debeat? ullane vanitas, ullum honoris deſiderium, cujus vehemens impetus hac pulveris, mortiſque cogitatione non infringatur? Poſt hæc ulluſne ſupereſt nobilibus viris ſuperbiendi locus? Si cogitarent, quid aliquando futuri ſint, nonne faterentur injuſtum æque ac inſanum eſſe immodicæ ambitionis ſuæ motibus indulgere? *Idem*.

Quomodo conſanguineorum mors liceat deflere.

Non improbo quidem lacrymas, quæ in parentis, filii, & amici funere effunduntur, ſed eorum exceſſum non probo. *Fili*. Sapiens ait, *in mortuum produc lacrymas, & quaſi dira paſſus incipe plorare .... & conſolare propter triſtitiam*. Lacrymas quidem effundamus, natura enim tanto confecta vulnere illas cohibere non poteſt. Defluant illæ ex oculis tamquam cruor cordis tanto dolore confoſſi; ſed fides illas quamprimum abſtergat. Meminerimus fidelium mortem ſpectandam eſſe veluti ſomnum, ne contriſtemur *ſicut & cæteri, qui ſpem non habent*. 1. Theſſal. 4. Cur enim doletis ob mortem illius, de quo nequaquam actum eſſe arbitramini? Quod mortem dicitis, vita eſt. Ideoque qui ante nos diſceſſit, nequaquam plorandus eſſet, ſed optandum, ut illum quamprimum ſubſequeremur. *Idem*.

Mortis cogitatio humanam reprimat ſuperbiam.

Quilibet ambitionis, propriique amoris motum cohibiturus hodie ſecum hæc dicere incipiat: Ego qui genere meo tot aliis præſto; ego, qui per dignitatem meam aliis impero, per mortem cæteris par ero, & cum aliis confundar: ego, qui omnibus fortunæ bonis affluo, omnibus vitæ deliciis, & voluptatibus perfruor, per mortem iis omnibus ſpoliabor, quæ poſſideo, & fortaſſe æternis flammis adjudicabor: ego qui adoleſcentiæ meæ illecebris, & formæ commendatione omnium in me amorem, & admirationem converto, per mortem ero oculorum horror, aliorumque ſenſuum ſupplicium. Ita mortis omnia æquaturæ cogitatio infringit ſuperbiam, quæ alitur diſcrimine. *Idem*.

Mortis cogitatio avaritiæ remedium.

Addamus, mortis cogitationem præſentiſſimum eſſe avaritiæ remedium. Qui enim ſemper ſe moriturum cogitaret, & ex omnibus bonis nihil ſecum allaturum, quam ſudarium, atque ſandapilam, numquid tot laboribus torqueretur, ut redditus ſuos in immenſum proferret? Negaret ille ſibi vitæ commoda, & nonnumquam etiam neceſſaria, ut theſaurum ſibi in hoc mundo inutilem, & in altero damnationis ſuæ cauſam futurum? Ut verbo me expediam, adeone aurum, argentumque, quibus uti nequit, & a quibus eo majori dolore avellendus erit, quo cupidius eadem poſſederit, adamaret? Itaque ut avaritiæ omnia poſſidere cupienti medearis, cogitanda mors eſt, a qua omnia rapiuntur. Ad hæc nulla ſunt verba, quæ ad vivum valeant repræſentare illius hominis deſperationem, quem repente mors aufert, & qui arctiſſimis vinculis terræ alligatus eſt: *O mors quam amara eſt memoria tua homini pacem habenti in ſubſtantiis ſuis!* Eccli. 41. *Idem*.

Qua ratione mors poſſit optari.

Quamquam vitæ hujus finis optandus non ſit, ut laborum finem inveniamus: res adverſæ per ſe vim habent nos ab eadem evellendi, prohibendi ne amemus id, in quo nihil eſt, quod nobis placere poſſit; & omnes affectus noſtros ad vera convertendi bona, quorum fruitio neque intermitti poteſt, neque turbari. Nefas eſt nolle vivere, ne patiaris; at fas eſt, ut exilio huic finem imponat, exiliique locum in patriæ tuæ beatiſſimam ſedem immutes. Hæc omnibus temporibus fuit ambitio Sanctorum; hæc noſtra eſſe debet. *Auctor Recens*.

Pauci ſunt, qui non morte occupentur.

Quin nimis exaggerare videar, affirmare poſſum, ex tot Chriſtianis, qui in mundo vivunt, pauciſſimos eſſe, vel fere neminem, qui morte non occupetur: utque hoc vobis ſit perſuaſum, conſiderate triplici tantum ratione homines mori. 1. Moriuntur ictu inopinato ac ſubita morte auferuntur; in naufragio, vel domo, cujus ruinis premuntur; vel ſubito laceſſiti morbo, quo momento omnia vitæ principia extinguuntur; quo in caſu certum eſt illos morte occupari, ac ſine ulla præparatione fato fungi. 2. Moriuntur minus præcipiti, ſed celeri tamen fato; in letargicum decidunt ſomnum; acerrima morbi vi perturbantur; rationis uſum amittunt, & ſui compotes ultra non ſunt: qui hoc pacto moriuntur, nihilo melius quam priores ſunt præparati. 3. Illi ſuperſunt, qui lenta morte, quemadmodum hominum plerique decedunt. Sed experientia docemur, hos homines credere, aliquod vitæ ſpatium ſibi ſupereſſe, ac fere ſemper præparationem ſuam differre, donec imminentis periculi admoneantur:

quod

quod tamen audet facere nemo, ne illos terrore concutiat; quo in ſtatu quænam eſt præparatio? Hoc nonne occupari eſt? *Idem.*

Bona, quæ mortis cogitatio parit.

Mors ea complectitur bona, quæ meditari utiliſſimum eſt, ac dicere audeo, illam ipſam bonum eſſe, quod grati animi ſenſum meretur. Cur enim Deo gratiæ agendæ non ſunt, quandoquidem illa nobis aditum reſerat ad vitam æternam; per illam pergimus ad Deum, & ex vitæ hujus miſeriis ad æternitatis gaudia evolamus? Ad Jeſum Chriſtum renuit ire, qui timet mortem, qua in æternum Jeſu Chriſto conjungimur. Mors cor noſtrum a terrenarum rerum amore divellit, & pauci invenirentur fideles, qui opes, honoreſque non amarent, niſi eorum vanitatem mortis meditatio detegeret. Fluxis inhærerent bonis, niſi mors eorum, quæ æterna, & permanentia ſunt, memoriam revocaret. Alios quoque producit effectus; ſi enim ſumma officii fide depoſitum fidei cuſtodimus, ſi earum rerum evitamus adſpectum, quæ cor noſtrum a Deo poſſunt avellere, hoc mortis timori acceptum referendum eſt. Hæc non ſolum peccati odium inſpirat, ſed celeri converſione Chriſtianum, qui in illud lapſus fuerat, attollit; in ſilentio ſuo loquitur, ac interiori voce peccatores hortatur, ut pœnitentiæ, lacrymarumque ſinceritate gratiam implorent. Hæc denique fons eſt benedictionum, illam ſubmiſſo, & generoſo corde ſubeuntibus. Quamvis inevitabilis ſit, humilis obedientia, cum qua illam recipimus, eam efficit voluntariam, ideoque gratiæ principium pro nobis. *Idem.*

Bona conſilia, quæ mortis cogitatio ſuggerit.

In dimidio dierum meorum, in ipſo ætatis flore, ac valetudinis robore, in ipſo honorum, & amplitudinis meæ cumulo, ibo, ajebat Ezechias, uſque ad oſtium ſepulcri. *Ego dixi, in dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi.* Iſai. 38. Quæſivi numerum annorum, qui mihi ad vivendum ſupereſſe poſſunt, & quantumvis diuturnum mihi vitæ ſpatium polliceri valeam, breve ſemper inter me, ac mortem intuitus intervallum, dixi; dierum meorum ſtamen quamprimum ſuccidetur; ex viventium numero exturbabor, tamquam paſtoritium tegmen, quod ex loco in locum transfertur: vix vitæ meæ orſus incipiet, cum de mane uſque ad veſperam ſecabitur. Dum hæc animo reputarem, oculos meos ad te, Deus, extuli; atque diuturno in cœlum ſuſpectu illos attritos deficere intellexi. Libenter parior, reſponde pro me in die indignationis tuæ. Quid ego dicam cum fractis animæ meæ vinculis, hæc omnibus ſuis fœdata iniquitatibus terribilis præſentiæ tuæ objicietur? Ubi me abſcondam, quo fugiam a facie tua? Heu! recogitabo annos vitæ meæ in amaritudine cordis mei. In anteceſſum ingrediar ſepulcrum, ut per cordis mei humiliationem aliquod in die ultionis perfugium inveniam. Ita magnus Ezechias Rex loquebatur. *Idem.*

Utilitas cogitationis mortis.

Animam juſtam ærumnis afflictatam nulla res majori ſolatio poteſt afficere; animam pœnitentem in exercitiis ſuis nulla res magis recreare; animam in ſceleribus ſuis induratam nulla res potentius excutere, quam mortis cogitatio. Hæc præ cæteris præſentiſſima eſt medicina ad ſuperbiæ vulnus curandum, animamque humilitate, quæ pœnitentiæ fundamentum eſt, replendam. Familiaritatem, ut ita dicam, ineamus cum mortis cogitatione, ut minus terribilis accidat, cum ſeſe nobis obtulerit; humilique ſubmiſſione acceptemus legem hanc humiliantem, veluti rationem, qua pœnitentiæ noſtræ defectui ſupplere poſſimus. *Idem.*

Plerique mortalium patriæ ſuæ, quæ cœlum eſt, memoriam, & amorem amittentes, in eodem exilio ſibi ſedem figunt omnibus abutentes conſolationibus, quas Dei bonitas ipſis reliquit, ut ejuſdem exilii amaritudines quodammodo lenirentur. His adhæreſcunt tamquam amiſſæ felicitatis, quam hactenus concupiſcent, umbris; ibique immorantes, quam tranſeundum eſſet dumtaxat; tot ſedes, ac domicilia ſibi extruunt, quot ibi delectationes, & voluptates inveniunt. *Tot in exilio manſiones facit homo, quot in eo delectationes invenit*, S. Bernardus ait: Ita cum mors accedit illos de creaturarum ſinu, ubi requieſcunt, avulſura, inde nonniſi ſumma vi divelluntur; cumque omnia abdicaverint jura, quibus cœlum expetere poterant, non alia re, quam dolore mundum relinquendi, moventur, *Abbas du Jarry in ſermone de Aſſumptione, tomo 2. Panegyricarum Orationum.*

Homines ſibi honori vertunt contemnere mortem, quæ eſt ſuperbiæ ſuæ pœna.

Homines ipſi ſunt miniſtri ſententiæ irrevocabilis in illos latæ, infinitas ſibi, violentaſque aperiunt vias, per quas e mundo egrediantur, quas nequaquam illis aperuit natura. Non contenti innumerabilis hujus multitudinis morborum, ac generum mortis, quorum præda ſunt corpora ſua; in ſeipſos ferrum, ignem, & venenum armarunt, & ſuperbia elati in hoc gloriam ſuam conſtituerunt, ſi mortem ipſam contemnerent ſub iis ſpeciebus magis horribilibus, ſub quibus ſeſe illis offert; ita ut imago mortis, quam Deus ob hominum oculos poſuit tamquam ſuperbiæ illorum remedium, inutilis ſit contra ſuperbiam hominis, qui adeo inſolens eſt, ut eam provocet mortem, qua frangitur, atque proſternitur. Homo morte damnatus creatura eſt admodum deplorabilis; ſuperbiens, licet ſe humilianti huic legi videat ſubjectum, objectum eſt miſeratione, & riſu digniſſimum; ſed cum ita cœcus ſit, ut ſublimiorem gloriæ ſuæ apicem in contemptu hujus moriendi neceſſitatis, qua abjectus, & contemptibilis fit, collocans, ut vera dicam, inſaniſſimus exiſtimandus eſt. *Abbas de Jarry, ſermone pro feria quarta Cinerum.*

Mortis cogitatio ſuperbiſſimos etiam humiliare debet.

Superbia quælibet non minus ridicula, quam noxia mihi videtur, ubi aliquando moriendum eſſe cogito. Ad quemcumque dignitatis gradum evehi poſſit nitens hic humanæ celſitudinis coloſſus, nonne in pulverem redigitur afflatus fulmine horum verborum, quæ Propheta quidam Regi morienti protulit; *morieris tu, & non vives.* 4. Reg. 20. Superbe mortalis, volatum velut aquila ſume, ſequere rapidum ambitionis tuæ curſum, in nubibus ipſis nidum tuum colloca, illinc etiam detrahet te mors! Cæca ambitio, quæ ſimilis pelago omnium affectionum, quas parit, flatibus tumenti, & æſtuanti, fluctus uſque ad ſydera attollis, momento uſque in abyſſum deſcendes; poſtquam tot procellas, atque tempeſtates excitaveris, ſpumantes fluctus tui in arenam illam allidentur, in qua digitus Dei deſcripſit terminos dierum hominis numquam prætergrediendos; & tantarum opum, ac magnitudinum huic ſcopulo illiſarum fragmenta æternum erunt omnibus hominibus monumentum, quod ſuperbiæ eorum inſaniam teſtabitur. *Idem.*

Mors naturaliter conſiderata terribilis eſt.

O extrema ſeparatio quam acerba, ac terribilis es! Quamvis animo conſtanti, ac forti ſimus, infrendat, opus eſt, natura, cum ſentit ſibi fatale hoc vulnus inferri, quo ſeparentur duæ iſtæ partes, quas adeo arcte ſimul conjunxerat: *Siccine ſeparas amara mors?* 1. Reg. 15. Exclamabat olim infelix ille Princeps jamjam crudeli, cruentaque manu immolandus. O mors ſiccine ſeparas? O mors, quam amara eſt recordatio tua, Scriptura inquit, tunc etiam cum te adhuc remotam homo conſiderat, & cum amor proprius palam videri non ſinit horrenda tela, quæ morientibus terrorem incutiunt! Heu! Quid autem, cum te accedentem prope cum horribili apparatu intuetur? Ne noſmetipſos inani ſpe fallamus: objectum hoc in fortiſſimos etiam animos terrorem, ac triſtitiam immittit. *Idem in ſermone de Aſſumptione.*

SUPPLEMENTUM.

Mors, Mortis Cogitatio &c.

Mors timenda eſt & cupienda.

MOrs, juxta S. Auguſtini animadverſionem, duas habet facies prorſus diſſimiles; alteram quidem terribilem, alteram vero optabilem. Terribilem quia eſſe poteſt æternæ infelicitatis principium; deſiderabilem autem, quia ſecundum Dei mentem nos debet introducere in immortalitatis, & gloriæ poſſeſſionem. Igitur illa ſimul timenda nobis eſt, & amanda; videlicet illam vereri debemus metu quodam, cui mixtus ſit amor; illam etiam amare debeamus amore, qui ſit cum timore conjunctus. Nec ſatis, idem laudatus Pater inquit; nam ſicut Deus qui amandus ſimul, ac metuendus eſt, vult abſolute loquendo, amari ab hominibus magis quam timeri; ita mors nobis amanda magis eſt, quam formidanda: & ſicuti non tanto ſe a nobis honore coli, quanto vult, arbitraretur, ſi eum timeremus magis quam amemus; ita dici poteſt id nos nequaquam obtinere eam animi diſpoſitionem, quæ perfecte Chriſtiana eſt, ſi mortem magis metuimus, quam ſperemus, quia noſter erga illam amor, & timor ſequi debet menſuram amoris, timoriſque noſtri erga Deum. Mors igitur per fidei ſpiritum metuenda eſt, ſed eum eodem fidei ſpiritu ſperanda magis eſt, magiſque cupienda. *P. Bourdaloue in Dominicis.*

Hujus veritatis exempla. *Hebr. c. 10.* *Pſ. 138.*

Idem S. Paulus, qui teſtabatur tantum deſiderium videndi corporis ſui carcerem everſum, fatebatur tamen rem eſſe terribilem *incidere in manus Dei viventis*: & David ipſe, qui enixis precibus Deum videre petebat, quærebat tamen perfugium aliquid, ut tutus eſſet ab illius iracundia. *Quo a facie tua fugiam?* Tamen licet inter hos varios amoris, timoriſque affectus diviſi viderentur, deſiderium præſtabant, & facere nequibant quo minus mortem cuperent cogitantes hanc unam eſſe viam, qua in Cœlum poſſent contendere. Hinc S. Hieronymus, qui fortaſſe præ reliquis Sanctis Dei judicia reformidavit, tamen unus ex illis fuit, qui maxime finem mortalis hujus vitæ concupiſcerent. Mirum

rum eſt videre, quomodo mortem poſcebat, & quibus nominibus illam appellabat: *Veni, amica mea, ſoror mea ſponſa.* Veni, dicebat morti, veni, te diligo tamquam amicam, tamquam ſororem, tamquam ſponſam meam. *Indica mihi quem diligit anima mea*: Deduc me ad unicum animæ meæ theſaurum; tu enim una mihi potes oſtendere ubi quieſcat: *Oſtende mihi, ubi cubat Chriſtus meus.* Circumundique tenebris involuta es, Pater idem ſequebatur, ſed hæ tenebræ mihi lumen æternum oſtendent, & ideo te tantopere diligo. *Nigra es, ſed formoſa. Terribilis es apud Reges terræ*; ſed mihi eo jucundior es, quominus mundo, & mundi hujus bona deſidero. Ita S. Hieronymus. *Idem.*

In hora mortis omnia bonis conſolationi ſunt.

Quæ conſolatio, quæ lætitia in mortis articulo percipienda non eſt ab illo, qui Chriſtianam vitam in virtutis praxi, & pœnitentiæ exercitatione tranſegit? poteſtne vitæ futuræ cogitatio præſens dolores non mulcere? Omnia, quæ moleſta in Dei ſervitute videbantur, tandem finem invenere; jejunia, ſolitudines, mortificationes, labores, humiliationes, auſteritates, pœnitentiæ, omnia deſiere: bonum, ac malum æquo pede prætervolant. Quæ voluptas in hora mortis ea non feciſſe mala, quæ fieri potuerant? Quæ lætitia ea feciſſe bona, quæ nobis erant facienda? præſertim vero cogitantibus dolorem, quo conficerentur, ſi hæc minime facta fuiſſent, quantumvis diutius vita eadem fuiſſemus gaviſi; quippe morituro momentum dumtaxat inter nativitatis, ac mortis diem interceſſiſſe videtur. Poteſt ne quis tunc non ſummo affici gaudio vitæ ſuæ ſanctitate prævertiſſe pœnitentiam illam, quæ in morte peccatores ad deſperationem adducit? Quid nunc prodeſſet mihi, moriturus ait, nituiſſe, magnas opes congeſſiſſe, plures amicos mihi conciliaſſe, primos honores conſecutum fuiſſe? Quid mihi prodeſſet omnibus voluptuariis cœtibus interveniſſe, in aula cum laude verſatum fuiſſe, mundi placitis adhæſiſſe? Si nunc, & ſemper in omnem ætatem hæc eadem placita damnabo: quid hæc omnia mihi eſſent profutura, niſi ſalutem meam operatus fuiſſem? Omnia bona, affectus omnes mortem meam ne ad breve quidem ſpatium differre poſſunt. Ecce me jam in æternum exulem ab omnibus ſocietatibus; quam voluptatem modo mihi poteſt afferre præteritorum gaudiorum, omniumque mundi ſpectaculorum memoria? O quam ſapiens fui, quod jampridem contempſi, quæ in æternum damnabo? Heu! vellem, nollem, nunc divellendus eſſem ab his voluptatibus; mihique violenter nexus hujuſmodi eſſent infringendi. Quid vobis videtur? Suavene eſt, ac jucundum cogitare hos jamdudum a nobis fractos, præruptoſque fuiſſe? *P. Croiſet in anno Eccleſiaſtico.*

Juſtus non moritur.

Juſti dumtaxat non moriuntur. Dicere poſſumus etiam, illos non vivere, non eniteſcere, non regnare umquam majori cum gloria, quam poſtquam ex humanis deceſſerunt; nulla opus marmorum duritia, aut metallorum firmitate ad memoriam eorum ſervandam. Nullus mortalium eſt, qui illis hoc reverentiæ, exiſtimationis, & venerationis tributum perſolvat: Non genus, non dignitas, non conditio eorum conſulitur; virtus ſola commendat illos, eorumque memoriam perennat, licet adverſa fortuna illis caliginem offuderit, licet obtrectatio, & calumnia illis terræ loliginis ſuccum adſperſerit; licet habiti fuerint *tamquam peripſema hujus mundi*; licet in oblivione, & humilitate vixerint, tamen *Juſti in perpetuum vivent.* Sanctorum obitus illis eſt præclari generis loco; mors illos in lucem, novumque fulgorem adducit. Ad aras attolluntur; memoria eorum eſt in benedictione, venerantur eos populi, Reges honorant, Regna illos ſibi patronos depoſcunt, & orbis univerſus laudes eorum concelebrat. *Idem.*

1. Cor. 4. *Sap. 5.*

Mors antequam nobis corporis oculos claudat, aperit oculos mentis, & aufert errorem vanitatum mundi.

Hic mortis dies, quem nobis plenum caligine fingimus, illuminabit ſpiritum eorum, quos ſuæ cupiditates excæcaverunt, & diſſipabit omnes nubes, quibus hactenus veritas fuerat involuta, ceſſabunt credere, quod ſemper crediderant, & videre incipient, quod numquam viderant. Quod ab ipſis habebatur in pretio, contemnetur; quod admirati fuerant, illos confuſione replebit; ita ut in mente eorum fiet quaſi generalis perturbatio, quæ eos ipſos corripiet, & perterrebit. Chimæricus ille conceptus, quem de mundo, aſſertaque illius felicitate ſibi effinxerant, repente delebitur, ac interibit: *Peribunt omnes cogitationes eorum*: Et ſicuti cupiditates eorum non aliunde initium nactæ fuerunt, quam a cogitationibus, & tunc ipſæ etiam cogitationes, Teſte Propheta, peribunt; ita etiam eorum peribunt cupiditates; videlicet non cupient ultra diteſcere, & eniteſcere; quia *in illa die* harum rerum omnium nugacitatem, & ſi dicere fas eſt, inſaniam intuebuntur. *P. le Bourdaloue.*

Ejuſdem argumenti.

Mors, quam omnis homo vivens ſpectare debet tamquam inevitabile fatum, generatim, & ſine ulla exceptione ex omnibus bonis, quæ poſſidet, ex omnibus voluptatibus, quibus fruitur, ex omnibus titulis, de quibus gloriatur, facit quamdam veluti vanitatis abyſſum: *Verumtamen univerſa vanitas, omnis homo vivens.* Mundanus homo non conſentit, imo id affectat ignorare; verum eſt tamen, vitam illius non eſſe niſi umbram, & imaginem pertranſeuntem: *Verumtamen in imagine pertranſit homo.* Turbatur, & tamquam mundanus jugiter agitatur; ſed incaſſum agitatur, *Sed & fruſtra conturbatur*, iis conatibus, quos mors in irritum abire faciet, iis negotiis, quæ mors confundet, ea ſpe, quam mors evertet. Fatigatur, ſeipſum exhaurit, ut opes congerat, atque theſaurizet, ſed hæc illius infelicitas eſt, neſcire cui theſaurizet, & qui ex laboribus ſuis fructum ſint percepturi; filii ne, an alieni; utrum hæredes grati futuri ſint, an ingrati; ſapientesne, an obliguritores: *Theſaurizat, & ignorat, cui congregabit ea. Idem.*

Joan. 11.

Mihi igitur hodierna die ſolis Eccleſiæ verbis utendum eſt: *Memento homo, quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* Sententia hæc mihi illis eſt dirigenda, qui in hac animarum cupidarum corona verſantur, illis ſuaſurus, ne foveant amplius immenſa, ac immodica deſideria, quibus ſemper torquentur quidem, non autem replentur. Satis eſt, ut illos tantum invitem, quomodo olim Judæi Salvatorem Mundi, cum oraverunt illum, ut ad Lazari tumulum accederet, eique dixerunt: *Veni, & vide.* Venite avari, inexplebilis vos urit cupiditas, cujus ardorem nihil valet extinguere; quæ quia ſaturari non poteſt, in ſexcenta urget vos crimina, vos miſeriis pauperum indurat, & in altiſſimam ſalutis veſtræ oblivionem vos conjicit. Conſiderate cadaver hoc: *Veni, & vide.* Hic multarum fortunarum homo erat, non ſecus ac vos; intra paucos annos locupletatus fuerat, uti vos; eamdem, quam vos, habuit inſaniam relinquendi opulentam domum, & filios omni bonorum genere inſtructos. Sed modo nihil ab hominum pauperrimo differt. *Idem.*

Nullus a morte immunis.

Omnes morimur, dicebat illa mulier, cujus prudentiam in ſecundo Regum libro Scriptura commendat; *& quaſi aqua, dilabimur in terram, quæ non revertuntur.* Et profecto lentibus aquis ſimiles ſumus. Quodcumque diſcrimen jactitent homines, omnes eamdem habent originem; & origo hæc eſt parvula, eorumque anni fluctuum inſtar ſeſe invicem trudunt, ac propellunt. Non ceſſant fluere, donec poſtquam fragorem aliquem ediderunt, ſimul omnes confluunt in abyſſum, ubi non Principes, non Reges, neque ſuperbæ aliæ ſecernuntur dignitates, quibus mortales diſtinguuntur: eodem pacto, quo fluvii adeo celebres, ſine nomine, & gloria cum ignotiſſimis fluminibus in Oceano permiſcentur, *Boſſuet Meldenſis Epiſcopus.*

Mors juſtum conſolari debet, quia illi pandit Cœli viam.

Cum Jacob Patriarcha extrema ſenectute confectus vidit Joſeph filium ſuum gloria, & honore fulgentem, ac univerſæ Ægypto dominantem, docet Scriptura, illum ſummo correptum gaudio exclamaſſe! fili mi, *jam lætus moriar, quia vidi faciem tuam.* Heu quam ſuavis, S. Bernardus inquit, optimo huic parenti videbatur, quia paulisper videbat faciem dilecti filii ſui! nos vero quibus mors procurare debet æternam felicitatem ipſum Deum contemplandi; nos, quibus illa Dei gloriam eſt revelatura; nos, quibus illa detectura eſt hoc beatitudinis objectum, quod non oculus vidit, & quod in hominis cor non aſcendit; nos, quibus propter hanc ſpem dicendum eſſet, Domine, *jam lætus moriar, quia viſurus ſum faciem tuam*; quin hoc pacto loquamur, & cogitemus, ad ſolum mortis conceptum expaveſcimus, & fremimus ubicumque minimum periculum adeſt, vel mortem nobis intentat. *P. Bourdaloue in Dominicis.*

S. Bernard.

Vigilantia omnia ſubtrahit inſidiis mortis.

Vigilandum eſt uſque ad mortem, ne ab illa fallamur. Vigilate, Jeſus Chriſtus ait, neſcitis enim quo die, qua hora Filius hominis venturus eſt. Qua in re, magnus S. Bernardus ait, nobis adoranda eſt Dei erga nos Providentia. Si ſciremus quandonam moriendum ſit nobis, fortaſſe ſecurius in omne ſcelus rueremus; fortaſſe non eumdem ſollicitudinis, & reverentiæ ſpiritum haberemus; ſed cum ignoremus decretorium illum diem, quo vocandi ſumus ad terribile Dei tribunal, omnium actionum noſtrarum rationem redditurì, noſmet in ſtatum adducimus recipiendi mortem quacumque hora ventura eſt, & per jugem hanc vigilantiam, quam exigit Jeſus Chriſtus, nobiſmet cavemus contra dæmonis fraudes, ut certi ſimus rei illius, quæ eſt omnium incertiſſima. *Dictionarium Morale.*

Virtutes quarum exercendarum occaſionem Mors nobis præbet.

Quarum virtutum exercendarum occaſionem mors nobis non præbet! Ad mortis adſpectum facimus Deo præclariſſimum vitæ noſtræ ſacrificium, & quodammodo